





DOMINUS  
IESU CHRISTI  
PATRI  
MAGISTER  
BASILEI SCHOLASTICA  
NEGO-PRACTICUS PRO-SALVATORIS  
COMMENDATUM



16.

# SCHLENDRIA- NUS

CELEBRIS PRACTICORUM

MAGISTER

BREVI SCHEDIASMATE

NEO-PRACTICIS FORENSIBUS  
COMMENDATUS

PER

GUiliELMUM FRANCKENBERG.  
Utr. Jur. Lic. & Advoc. Patriæ Ord.



K  

---

COLONIÆ, Anno 1720.



SCHIENDRIA  
NIUS

CEREBRI PRACTICORVM

MAGISTER

BREVI SCHEIDASMATE

NEO-PRACTIC  
COMMEMORAT  
INSIBUS



LER

FRANCIS FRANCISCUS  
ULRICHUS AYACUS PARIS Qd.



COLONIAE, ANNO 1730.



## APHORISMUS I.



ON est novum, res valde utiles & maxime necessarias, quia ubique sunt obviae, paryi haberi & pedibus conculcari. Idem accidit celebri *Schlendriano*. Quotus quisque enim est, qui audito nomine *Schlendriani*, sibi non imaginetur aliquid rei pervulgaris, quæ contemtui habenda sit, ceu pulvis terræ. Et tamen, si recte inreas rationem, nihil reperietur utilius, imo plane necessarium, quam ut quis *Schlendriano* utatur familiariter. Hic enim est, qui aptos redit

dit homines ad officia publica , Ecclesiastica ; Politica , Aulica , Forensia , Academica & reliqua. Parva prudentia regi mundum , dudum existimavere Philosophi. Hanc prudentiam docet *Schlendrianus*. Videamus itaque an à contemptu possit liberari Magister, per insignem, quam ostensurus sum , & utilitatem , & facilitatem.

## APHOR. II.

Inter causas evilescentis existimationis Schlen-  
driani credo esse etiam nominis originem , quam  
putant , probabiliter quidem, à voce *Schlendern*  
descendere. Id equidem certum est , Germanicam  
Linguam substantiva, quæ in *ian* exeunt, non habere , v. *Schottelii opus de Lingua German.* Lib. II.  
*Cap. XI.* *Von der Ableitung* , adeoque adsciti-  
tiam esse terminationem in *ian* , nam promiscue  
dicitur *Schlender* & *Schlendrian* , & terminatio in  
*ian* facta est ad imitationem vocis *Grobian* , vel  
*Plumprian*: verum id in contemtum Schlendriani  
accidisse puto : Et usum vocis *Schlendern* abjectum  
nimis esse crediderim , quam ut habenda sit pro  
origine celebris nostri *Schlendriani*. Nam usus  
popularis est talis , ut indicet incessum hominis in-  
curium, non satis attenti ad causam suæ ambulatio-  
nis

nis. Hinc dicunt, *er schlendert so mit*, de homine non magnâ industriâ, qui per imperitiam contentus est qualitercunque res à se gerantur, modo aliquo possit esse numero, imitando aliorum agendi, loquendi, scribendique modos externos, ita ut inter ceteros numeretur magis, quam habeatur ex iis, qui ad nominis celebritatem adspirare queat. Absit ut putes, amice Lector, me hic descriptisse *Schlendrianum*. Majorem honorem deberi ei credas velim. *Schlendern* & *schlenkern* sunt verba valde affinia, sicuti phrases *Schlendern* gehen: Und *Schlenckern* gehen: Ambæ nihil magnifici prædicantes, sed nihil ad *Schlendrianum* pertinentes. Miror, quod contemtores non etiam affinitatem statuant cum voce *Schlaudern*, quæ dicitur de iis, qui agunt dissolute, vel cum voce *Schäckern*, quæ indicat gesticulationes ebriorum more lascivientes: est enim ab Hebræo vocabulo *Schäcker*, quod significat ebrium. Populariter usurpatur de iis, qui asinorum vel juvencorum more petulanter colluctantur. Si quis formaret substantiva *Schlenkrian*, *Schlaudrian*, *Schakrian*, per me liceret, modo fiat sine detimento nostri *Schlendriani*.

Spreta itaque origine à voce *Schlendern*, putarem derivandam esse vocem *Schländrian* à primitivo germanico *Schlau*; Quod denotat folli-

sollicitum & providum, vide des Spaten (Stilerus  
 erat nomen isti viro celebri & in excolenda Lingua  
 vernacula admodum versato) Deutschen Sprach-  
 Schatz voce *Schlendern*; quam ille etiam deducit à  
 voce *Schlau*, quod suo loco *relinquo*, sed  
*Schlendrianum* omnino à *Schlau* derivari existimo.  
 Id enim cum significazione optime convenit.  
 Non vero cum isto Auctore facio, quod *Schlendria-*  
*nun* dicat ibidem hominem indoctum, inertem,  
 & extendi, ait, vocem *Schlendriani* ad Nota-  
 rios (omisit Auctor reliquos forenses Practicos) ina-  
 peritos, inscios, quos vulgo *Formularios* & *For-*  
*mularistas* appellant. Hic enim vocabuli usus cum  
 origine *Schlau* minime convenit: contraria enim  
 sunt, caute agere & sollicite, & agere negligenter  
 atque imperite: Nimirum virtutis est, etiam de-  
 fectus suos obtegere. Itaque si quis imperitiam su-  
 am pallio *Schlendriani* velare scit, ita ut pro  
 Philosopho nihilominus habeatur, quis dubiter  
 hunc ceu hominem cautum, callidum, providum in  
 honore & existimatione futurum. Talis ergo erit  
 verus & bonus *Schlendrianus*. Sed ne ipsa voci  
 compositio Germanico-Latina, Latinas aures offen-  
 dat, consideret queso lector amicus, esse nudum  
 sonum satis subtilem, quo aures humanæ non ita  
 offendit possunt, quam colaphis vel ruditu asino-  
 rum.

rum. Priscianus dicitur vapulare, si quis in latina  
 lingua adversus Grammaticæ regulas peccet. Sed  
 an ipse Cæsariensis Grammaticus tanta sensuum  
 teneritate præditus fuerit, ut verberibus affici se-  
 rio maluerit, quam audire peccatum adversus præ-  
 cepta sua, ego relinquo Orbiliis discutiendum.  
 Nobis licet placeat venustas sermonis, confirman-  
 da tamen est patientia, si alii proferant Barbaris-  
 mos, Soloecismos & nescio quæ figmenta nova  
 Latinæ Linguae, modo quid velint dicere intelliga-  
 mus. Dolenda est ea in re dissentium in Scholis  
 inertia, adeo ut ex centum vix unus alterque  
 dicat scribere latine, cum vix discant latina.  
 Evidem mirum non est, offendit sensus venustati  
 sermonis adsuertos, si vocum latinarum figmenta  
 aut germanismi horridi in usum, & quidem ubi  
 serio res agitur, irrepant, v. g. manutactorie, pro  
 palpabiliter: Factum furcabile pro furca dignum;  
 Adversari intentionem conclave pro impedire  
 vel elidere, supplica indecreta, pro non expedita: &  
 similes loquendi sartagini, adeo ut imperitorum  
 alter alterum sequatur & phrasin elegantem se di-  
 dicisse sibi quasi gratuletur. Vereor ne aliquando  
 audituri simus à novitiis fori Practicis multilo-  
 quis, gloriolis, insulis, nescio quæ cicilendra, po-  
 lindra, happalopsides, sancaptides, aliaque nuga-  
 cissi-

cissima, ad exemplum coqui Plautini, qui hominum avaritia dicebat se factum improbiorem, non suopte ingenio, in *Pseudol.* act. 3. scen. 2. Ita hi, hominum imperitia stultitiaque, non suopte ingenio, dicturi sunt bardos se esse redditos, ut fastidiant Hadrianos & Bembos Cardinales, Muretos, Balbinos, Schoros, Wendelinos, aliosque recentioris ætatis, qui post priscos Eloquentiæ Magistros elegantiam latini sermonis juxta puritatem tradiderunt conservaruntque. Cum Wetzlariae accessus mihi daretur ad scrinia & libellos celebris cujusdam Procuratoris, cui Leodienses causæ præcipuae erant commendatae, fateor mihi saepius stomachum mouisse stylum latinum in cultissimum plerorumque Advocatorum Leodiensium, (de omnibus enim id affirmare religio est, & sunt sane apud Leodienses Icti & Advocati præclarissimi, omni laude dignissimi, paucissimi tamen inter sexcentos) ut in mentem venerit, ob solam barbariem sermonis impeditiores esse causarum istarum unam, quam ex Germanicis plures, ceteris paribus. Ferenda tamen hæc sunt, quæ nec ego nec tu emendare possumus. Redeo ad *Schlendrianum*. Sufficit rem esse utilem, vocabulum ergo dari oportebat & fingi, quo exprimeretur. Sane commodiori non poterat exprimi *Sollicita rerum externalium in officio quo-cunque*

cunque publico observandarum , in verbis , for-  
 mulis & gestibus imitatio , ad locum qualitercunque  
 substinendum utilis , doctrina tamen solidioris ad-  
 jumento non instructa , quam per vocem Schlendrian.  
 Dico imitationem sollicitam , hoc enim prædica-  
 to distinguitur Schlendrianus ab imitatione negli-  
 genti & dissoluta. Alius certè est clamor graculi alias  
 lusciniae cantus. Talem imitationem Schlendria-  
 num qui vocaret , honori ejus nultum detrahe-  
 ret. Addidi : non esse instructam doctrinæ solidio-  
 ris adjumento , hanc enim Schlendrianus tanquam  
 rem necessariam ad officium gerendum tanto-  
 per non curat , laudat quidem , sed faciliori cursu  
 eandem lauream adquirere se posse confidit.

## APHOR. III.

Quemadmodum vero hominum plerorum-  
 que ingenia ad exemplum Platonis Philosophi  
 comparata non sunt , ut esse , quam videri malint  
 boni , sed inverso ordine , videri malunt pluri-  
 mi , quam esse periti & prudentes. Ita deriden-  
 di merito erunt qui Schlendriano bene uti non  
 sciunt , arripientes quæcunque audiunt & legunt ,  
 atque in exemplum trahunt , ipso Schlendriano

B

ineptio.

ineptiores. Cum ita deberent uti , ut solida rerum cognitione destituti ( nam qui hanc possident *Schlendriani* solatio opus non habent ) imperitiam suam obtegant, & caute Magistrum suum in auxilium vocent. Qui in cauti sunt , & inficitiam produnt , hos *Schlendrianos* potius quam *Schlendrianos* appellare oportebit. *Schlendrianus* verus sollicitudinem haber , ut sub specie *styli Curia* fese in altum erige sciat , & , si nonnunquam ei detrahatur larva , cumprimis ab iis penes quos solidior doctrina est atque experientia , rursus cum cautione debita submittat caput. Qui male eo uritur , & pro vera sapientia aut doctrina coram doctis audet venditare , statim suam prodire inertiam.

Verum ut ad fines suos redigatur *Schlendrianus* , dicendum est qui distet à *Stylo*. *Stylus* ad consuetudinem pertinent. Hæc ex diuturnis moribus , consensu utentium , cumprimis vero superiorum , comprobatis , nascitur. Pari ratione fit *stylus*. Magis tamen ab usu superiorum quam inferiorum derivandus. Nam quæ inferiores age-re consuevere, fiunt Sæpius contra Leges , talia *styli* nomine , sed perperam venditantur. Fundamento igitur certo nititur *stylus* habetque suam rationem. Hinc & legem imitarur. Non loquor de

de *stylo* in *Titulis* horum , quem nonnunquam plumbeum imo cereum esse factum ostendit *Eyenius Differt. de Stylo Curiæ* , sed generaliter de modo agendi externo in quocunque officio publico , lege expressa non præscripto vel approbato. Certe stylum suum habent officia Ecclesiastica , Aulica , Forensia , Academica. Habent quoque suum *Schlendrianum* ; *Schlendrianus* imitatur saltem stylum , & quandoque , ut ait Cicero , claudi more pilam tenet. Non à moribus approbatis procedit , sed ab imitatione aliorum , quam si quis sciat facere caute & cum cura , toleratur inter ceteros , si vero negligenter , multstandus erit , non quia *Schlendrianum* fecutus , sed quia male eo est usus : Præcripta legum tenere , hoc ad *Stylum* non pertinet , multo minus ad *Schlendrianum*. In legum externa adplicatione , Magister *Schlendrianus* de vi & potestate legum parum instructus , aliquid sibi sumit.

Exemplo forensi res declarari potest. Quæ sint requisita supplicâ pro imperrandis appellatio- nis processibus , Legibus est præscriptum. Has le- ges recte ad facti & personarum circumstantias ad- plicare , & supplicam bene componere , prudentis est Advocati. *Schlendrianus* prudentia efforan-

di suo marte supplicam destituitur , hinc ad formulas remittit , quas si quis feligere , & mutatis mutandis , supplicam bene consarcinare sciat , ita ut futuræ non appareant , potest haberi pro perito , quo usque defectus interni obiecti maneant . Si vero quis formula undiquaque arrepta utatur , & , quod sit sæper numero , ( etiam in supremis Judiciis , si Procuratores amanuensibus suis curam supplicæ committunt , quando ipsis commodum non est , ut relegant & emendent . Relatum referto à commilitonibus in familiaribus colloquiis cum Wetzlariæ essem ) male ad circumstan- tias facti accommodent , tales credo ab ipso Schlendriano vapulaturos esse , quod Magistro non didicerint uti cautius .

Aliud exemplum Ecclesiasticum . Nihil frequentius quam usus Librorum qui comprehendunt Homilias sacras . ( Libros tales vocant Postillas , à dicto antiquorum : Legantur Evangelia post illa Homiliæ ) Quod si quis satis instructum semet ipsum crediderit , si ex homiliis pluribus aliam componere sciat , poterit forte populariter pro bono Ministro Ecclesiæ haberi . Si vero quotannis eadem chorda oberret , vel nonnisi conscriptas aliquot orationes habeat , quas cujusvis anni vel triennii decursu in concio- ne

ne declamat , talem *Schlendrianum* inertein mox  
deprehendunt etiam non literati & despiciunt.

### APHOR. IV.

Regnat scilicet *Schlendrianus* in Ecclesiasticis  
officiis & Politicis, Aulicis, Forensibus, Academicis, &  
ubi non ? Sufficere enim ut faciat quis qualiter-  
cunque officium suum , reliqua à fortuna depen-  
dere , plerique credunt. Et comprobant rei veri-  
tatem atque commoditatem experientia quotidiana.  
Didicisti nonnihil latini sermonis : Annum forte  
egisti in Academica : ad compendii alicujus Theo-  
logici expositionem adnumeratus fuisti : ex ho-  
miliis vel impressis vel concryptis construere ora-  
tionem sacram & memoriae mandare consuevisti:  
Nihil deesse tibi puta ad Officium Ministerii in  
mediocri loco obtinendum quam favor eorum  
qui jus vocandi habent. Si aliquid ex Græca lin-  
& Hebræa didiceris , & flosculos Rhetoricos  
vel etiam Poeticos & Lemmata dudum decantata  
intermiscere : tunc sane existimationem præclaræ  
eruditio[n]is ambies , & obtinebis , ab iis sci-  
licer qui meliora nesciunt. Si inveniatur qui  
*Schlendriano* detrahere pallium audeat: qui forte  
dicet : Tu nil nisi vox es : tu barba & pallio

B 3

tuo

tuo confisus , supercilium erige in eum , ceu  
 contemtorem officii , publicè invehere , & si  
 per inscitiam tuam licet , ad palinodiam adi-  
 ge , si recuset , clamita hæresin. Animad-  
 vertes utiliter , *Schlendrianum* tuum regna-  
 turum. Sed cave ab iis qui sunt te doctiores ,  
 nam accipietis pro merito. Ad *Schlendrianicos*  
 Ecclesiasticos accedunt quidem , sed cum existi-  
 mationis popularis nota meliore , qui credunt præ-  
 clarè se officio fungi & cœtui prôdesse , si com-  
 positis ad artis Rheticæ præcepta sermonibus ,  
 additis suopte ingenio flosculis emblematum &  
 lemmatum , eloquentiam suam ostentent. Quasi  
 vere oratio sacra si istiusmodi elegantiis careret , vi-  
 suâ & scopo excideret. Meminisse oportet verbo-  
 rum sapientiae divinæ Magistri summi *Matth. XIII.*  
*v. 52. junct. Luc. VI. v. 44. 45.* Itali oratores sa-  
 cri , nisi in suggestu , qui ad modum ambulacri  
 factus est , decurserint , gestus & motus faciei ,  
 manuum & totius corporis violentos atque con-  
 tortos orationi addant , non habentur pro bonis  
 homiletis. Tu ergo ut in numero esse & haberi  
 possis , initaberis *Schlendrianum Romanum* si fue-  
 ris Romæ , si alibi , sicut ibi. Gestus & elocutio-  
 vim orationi addunt. Oratio etiam optime com-  
 posita sine elocutione & gestu frigebit , & puta-  
 res

res statuam loqui non hominem. Si tamen ex duobus extremis unum eligendum esset, mallem ego audire statuam verba sacra ex bono thesauro cordis sui proferentem, quam hominem qui tanto cum corporis & vocis motu eloquitur orationem, ut infanire eum vel histriōnem agere putaturus sit, qui rei non est assuetus. Sed meum non est consilium Schlendrianismos sacri ordinis hic de pingere & Anagyrim commovere, factum id tatis in Erasmi *Encomio Moriae*, & novissime in *Charletaneria Eruditorum*.

## APHOR. IV.

Dicam potius de Schlendriano Politico. In Principum Aulis quoque Schlendrianismum regnare experientia docet. Mutatur autem ejusdem forma mutatis personis. Et sicut Aularum vicissitudines sunt frequentiores, ita & Schlendriani, qui regitur ad exemplum, mores, inclinaciones Principis vel Magnatum. Igitur si noveris componere tuum corporis habitum, tua verba, tuosque gestus, ad indolem in Aula regnantem, reliqua à fortuna expecta. Memini viri cuiusdam aulici, qui, licet ad officium Præfecti superioris se minime sufficientem ipse agnosceret,

tamen postulare non erubescet , quia si dignus esset , deberi sibi ajebat ex merito , sed se sperare à gratia Principis. Tunc vero fore gratiam , si officium conferretur ei qui dignus non esset , Schlendrianum facile addisci posse. Neque fuit inutilis ei hæc Philosophia. Vidimus alibi saepius morem , per varios gestus & motus corporis quasi ad numerum & mensuram distinctos sese inclinandi , si Princeps in prandio accumbenti secum , propinareret. Qui hos gestus probe sciebat imitari , ceteraque quæ in Aulis usu veniunt , perferrere , cum venerationis externa demonstratione , atque , ut ait Comicus , *ut cunque in alto ventus est , ex in vela vertere ,* is pro expertissimo Aulico habebatur juxta illius temporis praxin. Evidem omnis morum & externorum actuum imitatio non est Schlendrianus. Nam & prudentiores externis rebus seculi conformant , sed cum moderamine & sine affectatione , observantes ea ratione decorum politicum. Est enim hoc , ex definitione celebris nostri temporis & JCti & Philosophi , Imitatio rationalis ex virtute complacentia orta , hominum nostri Status qui pro principiis aut prestantissimis haberi solent , in actionibus quæ non repugnant regulis universalis honesti justi & decori. Prudenter summa Aulica est injurias tolerare

re & gratias agere. Qui hoc sciunt, viri sunt prudenter & sapientissimi. Inuria non cadit in virum sapientem dictum est Senecæ in Libro de Constantia sapientis. Schlendriani accipiunt injurias facile. Gloriam in imitatione sollicita quidem, sed sine doctrinæ adjumento, ponunt. Si caute fiat, tolerantur, si inepte, periculum existimationis mox experiuntur. Schlendrianica imitatio oritur non ex virtute complacentiae sed ex defectu doctrinæ solidioris, & opinione quod ad officium gerendum eâ tantopere non indigeat.

In forensi praxi *Schlendrianus* omnem paginam facere creditur. Factus es dupondius in Academia, posthac titulum Licentiati vel Doctoris periculo tuo retulisti, formularios Auctores leviter inspexisti, ad summum Advocati cuiusdam celebris scrinia adire, & bona mixta malis inspicere licuit tibi, postulabis & flagitabis ut ad numerum recipiariis. Sufficere credes producere specimen qualemque Academicum pro summis in utroque Jure honoribus consequendis, etiam ab alio, si ipse non audes, elaboratum, vel Theses abs te collectas, aut thema consarcinatum. Temporis penuria dabit tibi excusationem. Nam L. n. C. de *Advoc.* divers. *judicior.* quæ testimonia jurata peritiæ juris requirit, dudum abiit in desuetudinem.

C

que

que meminerunt Dicasteria suprema semper in recipiendis Advocatis moniti saluberrimi Meviani p. i. decif. 189. Ut ergo recipiariis in Advocatorum numerum, fortunæ esse beneficium puta, non doctrinæ meritum.

## APHOR. V.

*Schlendrianum forensem* dico, qui in imitacione externarum formularum, cauta tamen & sollicita, consistit, ita ut defectus doctrinæ seu internæ qualitatis, quantum fieri potest occultetur. Inepti sunt, non *Schlendriani*, qui hoc nesciunt. Si imperitiam excusare velint, doctiores non audire, ad asinorum gregem dimittendi. Regnat inquam *Schlendrianus* in foro tantopere, ut nisi quis audiatur, & *Schlendrianum* consulat in principio, nunquam evalurus sit practicus. Duo sunt præcipue ait Erasmus in *Encomio Morie*, ad cognitionem rerum parandam obstacula, pudor, qui fumum offundit animo, & metus, qui ostensio periculo dehortatur ab adeundis facinoribus. Quem ita pudor afficit ne forte a doctioribus corrigatur, vel metus, ne per imperitiam impingat, is ad forense officium nunquam erit aptus. Magnifice ab his liberabit *Schlendrianus*. Disce imitari formulas, generalia methodi

methodi præcepta , fac officium qualitercunque , in numerum aliquem relatus , non ejicieris. Et sic *Schlendriano* tuo præcipua accepta feres , cetera quæ abs te non dependent , fortunæ.

Adeo inquam necessarius est *Schlendrianus* ut ne Judicum quidem omnium Personas exciperem. Quotus quisque enim est qui in principio muneris, methodum causas decidendi non tentaverit cognoscere ex collectionibus relationum publicè evulgatis, non dubitans fore ut in *Schlendrianum* peccasse credatur , si relationem juxta capita illa generalia : Quæ *Actio instituta* ; *An probata* : *An elisa* : Quid pronunciandum : non composuerit. Et sane, si ex forma externa distributionis capitum & verbositate laus relationi deberetur , nihil facilius esse crederem quain Judicis officio fungi. Si & reliqua qualicunque modo tese habeant , si *Cardinalis Tusci Conclusiones*, si *Barbosa Axiomata* ad manus fuerint, si adhibita vulgata Juris Systemata : Laudem reportabit *Schlendrianus* tuus magis quam si quis ex peregrinis variis , optimis etiam auctoribus centonem excerptorum ad rem nihil facientium consarcinaverit. Huic enim merito objicietur : *Hic non est locus , proin tu alium queras cui centones farcias.* Ex *Epidic. Act. 3. scen. 4.*

C 2

Re-

Reprehenditur merito genus referendi fluctuans  
 quod quasi nervis carens huc & illuc dilabitur ,  
 non potest sententiam confirmare , neque lese vi-  
 riliter expedire. Sunt Judicia , utinam multa non  
 essent , in quibus nequidem Actorum Relatio fit in  
 scriptis , sed discursu aliquo prævio & perfun-  
 ctio recensetur factum , petitum , & exce-  
 ptio , confessimque ad sententiam fit progres-  
 sus. Accidunt hæc cum primis , ubi pauci sunt qui-  
 bus Justitiæ administratio est demandata. Ubi  
 ab unius opinione reliqui dependent. Si non pla-  
 ceat partibus , licitum est appellare vel Leute-  
 rationis remedio uti , & tunc acta ad Collegium  
 JCtorum transmittuntur. Alibi Judex officium  
 suum non nisi in citandis partibus & terminis præ-  
 figendis exercet , sententias etiam levissimas , ex-  
 traneis JCris permittit. Quid facilius quam hunc  
 addiscere *Schlendrianum* ? Proinde , si ex iis quæ  
 plerumque fiunt æstimanda est rerum gerendarum  
 ratio , ex judicibus vero plurimi , qui , si *Schlendri-*  
*anum* callent , satis prudentes se existimant , &  
 pro talibus habentur : Sequitur quod *Schlendrianus*  
 etiam in Judiciis & personis ipsorum judicum su-  
 um habeat regnum. In Imperiali Camera aliter  
 se rem habere relatum mihi fuit cum Wetzlariæ  
 praxeos addiscendæ gratia versarer , rigidamque  
 censu-

censuram subeundam esse Candidatis Assessoratus, accepi. Exigi quidem methodum externam, sed ab internis præcipue, doctrinâ puta & Judicio Referentis, cujus præcipuum signum dilucida facti enodatio, laudes attribui specimini non à conglomeratis allegationibus, quæ ubi ex facti circumstantiis res decidenda, quod sæpe accidit, inutiles sunt omnino. Neminem hic, nisi doctrina solidiori instruetus fuerit, periclitari velle, credibile est. Receptos vero ad Assessoratus officium, à senioribus Collegis in ceteris quæ à Candidato non exiguntur, instrui, ut qui operam adhibere velit, brevi regulas teneat, ad circumstantias occurrentes cum judicio applicandas. Eum in finem misceri in Senatibus plerumque juniores cum senioribus, ut tanto facilius negotia expediantur. Nullum enim repertum esse qui hic non didicerit. Id quod, credo, in omnibus officiis celebrioribus usu venit. *Les affaires font les hommes* ajunt gallici magistri. Verum est axioma, sed requiritur subjecti capacitas doctrina & judicium. Experientia sedulaque observatio addit firmitatem & perfectionem.

## APHOR. VI.

Satis dixi de Judicibus. Venio ad partes litigantes, præcipue causarum Patronos, nam apud hos præcipue dominatur *Schlendrianus*.

C 3

Qui

Qui vel pudore vel metu afficitur, ad post

- landum est inhabilis.
- Nam quæ Cicero monuit,
- eos qui optime dicunt quique id facillime atque orna-
- tissime facere possunt, tamen non nisi timide ad
- dicendum accedere, *L. i. de oratore*, hoc cum
- reliquis ejus monitis ad conciones Romanas anti-
- quas pertinere existimandum est. Remedium se-
- curum est à *Schlendriano*. Truncum sane esse o-
- porteret, qui qualitercunque facto intellecto, pri-
- mam à secundo instantia discernere, formalia in le-
- gibus & Interpretibus inculcata examinare, tum vero
- evoluto Auctore formulario, recensere aliquo modo
- factum, & interposito ad suum sensum medio con-
- cludendi, petitum aliquod efformare nesciret.
- Epistolam non erubescere, dixit idem priscæ elo-
- quentiæ Princeps, cum postularet fatis inverecun-
- de laudari à Lucejo Historico v. Lib. 5. Epist 12.
- Supplicam multo minus erubescere crediderim,
- nam relinquitur Judicis discretioni, an petito velit
- annuere. Levius hic est periculum imo nullum.
- Ad multas commoditates conduit nunquam pu-
- descere & nihil non audere. Hoc paucos mortalium
- intelligere scripsit *Erasmus* in *Encomio Stultitiae*.
- Si denegetur petitum, rursus instabit causæ Patro-
- nus, rationes denegati petiti divinare tentabit, &
- si audacior est, & facundiæ opinionem velut alter

Anti-

Antiphon apud *Thucydid. Lib. 8. p.m. 379.* adeptus, cum judice expostulabit, donec spes decollaverit omnis. Ecce *Schlendrianum* commodum & facilem, quo, qui scit uti caute, ne per imprudentiam in multam incurat, laudem sui patrocinii referre poterit egregiam & præmia ampla.

Omnis labor patronorum forensium sit initio, ut processus petiti obtineantur, quia hoc Principali tunc temporis est utile. De eventu, nisi prema-tur ab adversario principalis, ne sit anxius causæ patronus. Hæc cura relinquatur parti quæ decisio-ne magis opus habet. Is interim sciet, si ita expe-dit, eam procrastinare. Conspicere autem oportet Adyocatum & Procuratorem. Hic plerumque illius nutu regitur. Quid quælo facilius quam pe-tere in principio prorogationes fatalium ad introdu-cendam appellationem. Si causæ nullæ sunt in promtu, allega in posterum docendas : *Aus künftig-zubescheinigenden Ursachen.* Exhibe tandem supplicam, & causare adjuncta omnia tibi non transmissa, mox producenda, interim fatalium prorogationem flagita. Satis temporis superest donec à Judice constringaris. In Libello appelle-tionis, cum præfatione veniæ, *salvo honore*, ju-dicem priorem nulliter egisse & pronunciasse in-cusa,

cusa, gravamina accumula, quorum probatione ad  
 obtinendos processus opus non habes. Scis enim  
 ea in re scrupulositati non studere judicem. De  
 eventu tu non est responsurus. Si processus de-  
 creti , nuncius qui insinuavit non revertitur  
 tempore debito , iterum petes prorogationem  
 fatalis reproductionis. Si es reus vel appellatus,  
 exspectabis proclama , levi dispendio unius flo-  
 reni , lucro interim insigni temporis. Præpri-  
 mis tenendum axioma Schleidriani , qui incul-  
 cat , *agere caute, ut licet intelligantur artes,*  
*tamen vindicari nequeant.* Comparebis tandem,  
 sed petes dilationem ad exceptiones producen-  
 das , & has dilationes tam diu repetes donec  
 prescindatur ulterior dilatio per Judicem. Si  
 dilationi petitæ in Judicio ad excipiendum , du-  
 plicandum , vel aliud quod oporteret , agendum,  
 adversarius contradicat , invehaturque in mo-  
 ras tuas , studiose ut ait collectas , tu non eru-  
 besces ex collectaneis tuis phrasium , singulari e-  
 legantia & frequentia commendabilem , *ohnge-  
 standen gegentheiligen ohngütigen Angebens* ,  
 vultu composito , in continenti reponere , &  
 petere terminum à Judice. Hæc omnia Schlen-  
 drianus docet , & in usu esse didici , reprobato  
 quidem à superioribus , qui tamen sit impuni-  
 tus

tus plerumque: Si metuis in contumaciam aliquid  
decretum iri, allega te scripsisse vel Principali vel  
Advocato, daß ausser Zweifel aus vrichtigen  
Ursachen die Antwort unterblieben, und stelle  
vweitere dilation Hochrichterlichem Arbitrio an-  
heim. Vel si urgeat tempus, dic, te accepisse die  
rechtliche Nothdurft, müsse erst durchsehen, und  
ad stylum eingerichtet werden: oder daß etwas  
daran ermangele, petendo saltem aliquot dies, &  
sperans ex diebus menses futuros. Interim curam  
scripti in ordinem redigendi, si opus, & per tuam  
commoditatem non liceat, alii committe. Ecce  
rursus elegantem eamque facilem doctrinam Schlendriani.  
Observavi hujus rei praxin in musacis quo-  
rundam Dominorum Procuratorum, quæ invi-  
sere mihi licuit, eam non fuisse inutilem. Dubito  
tamen an eadem cautelæ alibi juvare possint v.g.  
in Judiciis Statuum Imperii Provincialibus, ubi  
conveniunt Judices certis anni temporibus, neque  
dilations tales permittuntur. Alius ibidem erit  
Schlendrianus qui ex cujusque loci praxi observan-  
dus cauto Practico. Si es callidus, mox intelliges,  
& imitaberis. Sæpius tamen audivi Wezlaricenses  
Dnos Procuratores culpam in Advocatos extraneos  
rejicere, qui morarum sint causæ. Hoc ipsum est  
quod Schlendrianum valde juvat, nam si fungi li-  
cet

cet officio agendo saltem ea quæ Advocatus jubet ,  
 facilimum est munus Procuratorum . Advocatus scribit : à sententia quadam Judicis inferioris interpositam appellationem , sed per negotia complura aliasve causas edi libellum appellationis intra fatalia non posse , jubet interim ut petas fatalium prorogationem . Tu de novæ causæ patrocinio lœtus , trium linearum schedulam sive supplicam fieri cura , in qua fatalia prorogari petantur . Et sufficit si tanrum porrigatur scribæ Judicij , non opus esse puta expectare decretum Judicis , cui de tuis petitionibus moratriis raro aliquid constat . Hoc petitum , licet interim ab Advocato nihil perscribatur , saepius itera , & observa ut nunquam tempus brevius petas , rarissime unius aliquot forte dierum . Menses duo vel plures in ore & calamo habere debes , addito semper , quo magis temporis prospicias , ulteriori spatio per modum additamenti : Duorum vel trium , trium vel quatuor , quatuor vel sex mensium . Puta enim parvi referre an appellatus aliquot mensium intervallo frustretur . Et sic salvando fatalium cursum , probe functus es officio tuo . Interim non negliges Advocatum monere ut tandem necessaria ad introducendam appellationem tibi transmittat . Is si vult , suopte studio maturabitur . Si mora est utilior , mittet tibi libellum prægran-

grandem, in quo facti narratio erit verboſiſſima &  
 in circumſtanciunculis diſſuſa, tum vero ſeries  
 gravaminum ad numerum quantum fieri potest,  
 aucta: non quæ ex ſententia ipſa reſuſtant ſua ſpon-  
 te, ſed quæ catalogus gravaminum adverſuſ ſen-  
 tias generalis, quem forte ad manus habes, percur-  
 rendum eſt iſtud caput, ſuggerit, & ad caſum  
 pŕeſentem quoque mođo ſunt contorta. Nam  
 eo facilius proceſſuſ appellationis ſperare licet, cūm  
 Juđex in tanto volumine, aliqua ſaltem ſpeciem gra-  
 vaminis ad effectum appellationis habere, eſt credi-  
 turus: Examinatum iri omnia non metue, non enim  
 fert temporis, pluriuſque cauſarum quotidie oc-  
 currentium ratio. Adverſarius tanto majori labo-  
 re habebit opus ad refutationem tui libelli, & ſic  
 appellans tuus temporis beneficio fruitur: Quan-  
 doque Advocatus ne quidem mittit Procuratori om-  
 nia ad libellum neceſſaria. e.g. ſententiam pŕece-  
 dentem ad quam ſeſe refert eā à qua appellationis  
 interpoſita fuit, multa enim Advocato negotioſo  
 accidere poſſunt ut aliiquid pŕetermittatur. Sic-  
 que Procurator cauſam habebit ulteriore moram  
 excuſandi & culpam in Advocatum rejiciendi. Sa-  
 lubri conſilio itaque in aliquibus Juđiciis conſtitu-  
 tum, ut appelleſt & ipſi & Advocati juramento  
 calumniæ obſtringantur priuſquam appellationis ad-  
 mit

mittatur. Verissimum enim est, moræ in decidendis  
 causis pri:nam & ultimam causam esse Advocatos.  
 Quod jam dudum adversus dicterium : Spiræ spi-  
 rare lites , non exspirare , observavit piissimus JC-  
 tus Casp. Ziglerus *Dis. Them. III. Cap. 17. §. 6.* Non  
 negaverim aliquando esse moram à parte Judicis.  
 Sed si prolixitati Advocatorum limites ponи possent,  
 promptior à Judice foret , credo , decisio. Procu-  
 rator ; Advocati minister , proponit ea quæ ille vult.  
 Excusatior illo , qui totius causæ est director. Con-  
 clusionem causæ evitandi non minores sunt cautelæ  
*Schleñdrianica*, ubi certus productorum numerus  
 lege est præfinitus , uti in Camera Imperiali non li-  
 cet ultra duplicam; vel in causis Mandatorum S. C.  
 ultra replicam progredi : Imperitus foret *Schlen-  
 drianus*, qui ignoraret viam tripli cam vel duplicam  
 etiam sine venia Judicis protrudendi. Allegabis no-  
 va ab adversario prolatæ : in protocollo non ne-  
 gliges ad supplicam pro venia triplicandi porrectam  
 te referre , petendo ne quidquam statuatur donec  
 ad acta fuerit admissa, & sic quam à Judice expe-  
 ctabas veniam , tibi ipsi præveniendo dabis. De-  
 fensionis favorem omnia sanare existima. Te non  
 satis auditum clama. Si nondum es instructus ab Ad-  
 vocato , hujus mora , morbus , occupationes &  
 nescio quæ excusationum nomina in protocollo  
 alle-

alleganda, ad dilationem proficient. Moritur etiam  
 Advocatus, vel quod frequentius, patrocinium  
 vel verè vel fictè renunciavit, novus erat quæren-  
 dus, hic ex magna chartarum mole informatio-  
 nem capere debet. Procurator, si ad causam novus  
 accedat, se pro informatione ex actis, (quam tamen  
 Advocati esse operam non tuam, putabis; tua  
 enim extremis digitis absolvitur) vel tres vel quatuor  
 mensibus opus habere causatur. Et ita primum &  
 ultimum studium *Schlendrianicum* est lucrum  
 quærere temporis. Scis enim decisionem non sem-  
 per maturari à Judice. Interim tu cum adversario  
 procuratore, qui moræ tuæ contradicit ac si jamjam  
 sententia instaret, strenue & loquaciter collucta-  
 beris. Wetzlariæ Audientiæ publicæ adstare cui-  
 que licet. Ego non facile ullam neglexi. Et sae-  
 pius risum movit, cum audirem Procuratorem eun-  
 dem, qui cum altero dilationis ergo bellum verbale  
 habebat, mox in alia causa, imo eadem, simili mo-  
 do ab altero excipi. Et sic mutuas fieri objectiones,  
 mutuas vicissim condonationes. Si scriptum aliquod  
 quod tu putas tuo Principali obesse posse, post lon-  
 gas moras, vel saltem Recessus quem putas merita  
 causæ continere, profertur, *Schlendrianus* docet ut  
 petas rejici ab actis, in eventum reserves responsionem.  
 Ego mecum saepius reputavi, hanc eventualem reser-  
 va-

vationem tibi magis nocere , quam prodesse. Dicis gratia tantum peti rejectionem ab actis, cum, quid in meritis contineat, nulla à Procuratore facta sit inquisitio. Judex si videbitur necessarium, tibi responsionem injunget. Vidi ego scripta in Musæis Procuratorum conclusionis ergo producenda , cum relationem Actorum urgeri divinaret Procurator, quibus præter scripti ipsius prolixitatem, magnus adjunctorum numerus erat additus. Quæ licet ad rem faciant nihil , tentare tamen licet periculo multæ, à Principali restituendæ. Interim impeditur referens, quia necesse habet farraginem istam perlustrare , & inutilia ab utilibus discernere. Procurator omnia rejicere potest in Advocatum, quia ipsius non est , sexcentarum causarum merita scire , & habere enumerata. Scribendum tamen & Advocate vel Principali , ut te Procuratorem conceptis verbis de statu rei informet, ne adeundo judicem & sollicitando, minus gnarus videaris causæ cui patrocinaris. Ea quæ tibi scribuntur memoria tene , & diligenter evita, ne ad perscrutandam ulterius tuam notitiam deducaris. Si non es silex , poteris retinere facile ea, quæ tibi in literis paucis verbis significantur , & videbere bene informatus , gloriamque tuæ sollicitudinis tibi vindicare, & si bene res ceciderit , de palmario victorem monere non erubelces.

besces. Si eventus voto tuo non respondeat, verissimam simulque facilimam habebis excusationem quod per te non steterit, honorario tuo nihilo secius frueris.

Dum fervet conflictus ante conclusionem, docet *Schlendrianus*, saepius recessus in tuis causis perorare, hoc enim utilè est non solum existimationi, sed etiam crumenæ. Nam omnia faciunt ad augendam summam liquidationis expensarum. Licet enim moderatio Judicis plerumque tantum bessem, quandoque vix semissem relinquat, tamen adeo stolidus non eris, ut expectes honorarium post finitum processum. Neque hoc cliens bonus, si abs te velit rem suam curatius agi, patietur. Imo invenies litigantes faciles, præsertim universitates, qui tuæ religioni summam prænumerando pro expensis, concredent, de qua tu rationem es redditurus. Compensanda enim est quantum fieri potest inertia eorum qui te derelinquent, neque negligenda occasio pinguior. Saepissime expensæ compensantur per sententiam Judicis, tum vero poteris esse securus à moderatione tuarum rationum. Ex taxa laborum præscripta vivere, non est viri tuæ conditionis, neque secta nostrorum temporum patitur. Sublatis studiorum præmiis etiam studia peritura, *Suilius & Cosutianus*

Cen-

censuere apud Tacit. Annal. Lib. XI. Cap. cuius orationis integræ probè memento.

Sententia aduersus tuum clientem latâ , suggerenda remedia commoda. Appellationem ubi fieri potest , Leuterationem ( remedium valde commodum etiam in aliis Imperii Judiciis quam Saxoniæ Ducum , de cuius abusu Ziglerus loco supra dicto disserit.) in integrum Restitutionem , Revisionem. Remedium restitutionis est utilissimum quia effectum Judicati suspendit. Acta accumulatori possunt . J udex aliis occupationibus distinetur. Interim aliquid fit. Si jure jurando calumniæ opus est , daß uuder ihr noch Euere Principalen und deren Advocaten von jezigem neuen Einbringen , worhero einige Wissenschaft gehabt , Clausula adjecta : Oder doch solches zu der Sache dienlich zu seyn nicht vermeinet , conscientiam salvare putabis.

Tandem , si ignarus quid antea in actis fuerit deductum , offerre juramentum procuratorium erubescas , ( quotusquisque enim est ex Procuratoribus qui inter tot causas quibus patriconatur , singularum merita scire possit , Advocati hoc est officium non Procuratoris ) observa cautelam Schlendriani , ut offeras si à Judice admittaris.

Ten-

Tentare licet , si non succedit , providentia tua saltem ab opinione temere oblati juramenti te liberabit.

### APHOR. VII.

Petis à Schleidriano consilium ad acquirenda tibi multarum causarum patrocinia ? Neque hic dicit magister.

Ante omnia studendum est pro acquirenda qualunque opinione scientiæ , diligentia & obsequiositatis. Hisce enim parabis tibi apud superiores auditum. Tum vero conciliabis tibi amicos , qui te cœ virum tam commendent. Insignis erit in te virtus & commendabilis si quidquid didiceris vel conjecturis asscutus fueris non effutias , nec scientem te simules. Plus scire , quam loqui , sapientiam esse , ex Epidico memento. Malè enim accipiuntur sciolii & plusquam decet curiosi & garruli : Invigila quid rerum agatur in curia , qui processus petantur & decernantur , adversariæ parti mox denuncia , tuum offer patrocinium & mitte quam in promptu habes typis impressam formulam mandati procuratorii.

Si observavetis aliquem de tardiori progressu suæ Causæ conqueri , patieris libenter , licet ipse non facias , ( id enim honestas prohibet ), ut in Mandata-

E

riu-

rium præsentem culpa referatur, quod vel nimium sit occupatus; vel curatius agere & flagitare judicem non soleat, vel aliud quid prætermiserit. &c. Si res eo deducta est ut novo procuratore sibi opus esse crediderit, tibi que formulam mandati transmiserit subscriptam, tu eam monstrare priori procuratori, & in judicio producere non erubesces. Ille enim ab isto cliente alias non fatis bene honoratus, ut co carere possit, renunciabit haut ægrè suo mandato,  
*will von der Sache abgestanden seyn.* Et sic venies tu in possessionem. Ubi tamen non negligendum ut acceptes renunciationem, nam fieri potest ut Principalis etiam tui pertæsus, vel alia de causa, priori Procuratori rursus aliquid agendum committas & is acceptationem abs te non factam causatus, patrocinium rursus occupet.

Initio nullam sperne, quæcumque causa tibi defendenda offeratur, diligenter potius te monstra in omnibus. Allaborandum enim ut quacunque die Juridica publicè proponendum habeas aliquid.

In novitiatu tuo videaris semper magis, quam sis, occupator, & in contradicendo adversario tuo, ita ut ne facile quid sine responsione dimittas, promtus.

Ad

Ad multam dictatam frontem obduratam ha-  
be , nam tibi primo , vel soli , hoc non accidit , & si  
Principalis tuus te negligentem nolit fieri , sua spon-  
te præstabit indemnem .  
Ne ramen affectes primis annis tui officii mul-  
tarum causarum patrocinia habere , non cuivis con-  
tingit hanc adire Corinthum ; casus est rarer , & si  
nuditas tua forte detegatur , vel circumstantiae mü-  
tentur , existimatio tua mox periclitabitur , oppor-  
tunitati est invigilandum , tenenda capillis in fron-  
te occasio . Nequidem nuncii negligendin , quis suo  
præconio in regionibus dissitis copiam causarum  
nonnullis conciliarunt . Tu vicissim eorum lavabis  
manus , processus decretos tibi amicis nunciis præali-  
is insinuandos concredes , intetim prorogatione fa-  
talium ad plures menses tibi poterit consuli .

Collectanea tibi para ex formulis variis reces-  
sum quibus pro re nata utaris , nam imitatione  
aliorum tu excusaberis , & *Schlendrianum* pro sty-  
lo commode venditare poteris .

Ubi majorem numerum causarum adquisive-  
ris , tunc eas quæ minus utiles videbuntur aliis  
commendabis , qui tibi gratiam sunt habituri . Est  
etiam filius , est gener , cui consulendum .

Si officii tui ratio postulat ut pro cujusque ju-  
dicii more certis diebus publicè compareas , vestitu-

distincto, prout fieri consuetum in Camera Imperiali quavis Audientia , tibique id fuerit quandoque incommodum , mitte quæ habes proponenda Collegæ alii, cui forte gratum accidit ut exsurgere possit & audiri , cum hoc in causis suis accidat rarius. Tu verò si nominis celebritatem aliquam acquisieris , (aliud enim decet novitios) tuæ vacabis commoditati. Trecentæ enim possunt colligi causæ quibus absentia excusetur. Non satis commoda uteris valetudine vel aëris intemperiem metuis : Habes expediendos nuncios hac ipsa hora , qui expectare non possunt : Es occupatus laboribus, in quibus , si hoc ipso tempore seponeres , circuli tui admodum turbarentur : Invitatus es ad prandium vel amicos invitasti : venit ad te hac ipsa hora aliquis ex tuis clientibus honoratioribus , cum quo communicandum ; Est in ædibus opifex , cui distinctè monstrandum , quomodo res tibi necessaria fit perficienda, aliqui erraturus foret cum tuo dispendio & animi ægritudine. Vel dic , te ut compareas publicè , dispositum non esse. Variandæ autem sunt excusationes , & memineris probè proximè præcedentium. Compertum non habeo an ad examen deducantur , id saepenumero audivi, in honore esse Procuratores, facile excusari , non in schola versari , sed in curia.

Prajudicia varia collige , licet certus non sis,

an

an ad tuum casum circumstantiae quadrent, tu tamen divinabis & allegabis, opinionemque diligenter viri hac ratione adquirere studebis, nullum ex tua allegatione nascitur tibi periculum.

Cave ne honorarium in annos plures non solutum succrescat: Monere non desine: Diligenter scribe: Omnis epistola ad rationes refertur: Per nuncios liberalitatem excita, cum primis tuam diligentiam lauda, & laudari jube, marsupium preme, maximè tempore eo quo tua opera indiget Principalis.

### APHOR. VIII.

Sed manum de tabula. Retinere debet aliqua pro suis arcanis Magister cautus: Si uti didiceris his quæ tradita sunt, bene tamen, ne artes intelligentur, si utilitatem fueris expertus, si nomen aliquod adeptus, gratiam habe Schleidriano. Si observationi diligentí dederis operam & imitationi, plura doceberis tuo Marte, & novas cautelas Schleidrianicas invenire scies. Pugiles, si iustum quem in animo habent, ab adversario motu contrario elatum iri sentiunt, novum solent confessim instruere. Ita tu, si artem unam non succedere intelligis, mox aliam in promptu habere debes. Interim invide-

re nolisi , his præceptis , quæ plurimi annorum obseruatione collecta sunt, hucusque ad secretiorem amicorum usum servata , nunc plures Neo-præctici , & gratis , communicentur. Vicissim te *Schlendrianus* participem facit *Colloquiorum* trium , quæ ipso facto ita habita , atque ob sectetas quas continent instructiones , scripto comprehensa , ab amico accepit. Ceterum ut abstineas a censuris suadeo. Acroamaticas hasce doctrinas si fastidis , si præstantioribus es imbutus , gratulabitur tibi ipse *Schlendrianus* & libenter sua contrahet vela. Si vero te iis usum esse , atque ad eas , ubi consilium te deseruit , confugisse saepius meministi , noli eas invidere aliis. Si caute in iis versari nondum didicisti , tua erit culpa. No li etiam Auctori ob propalationem indignari , cuius scopum si non à primordio , quod tamen facile est , intelligis , adire licebit *Jubentium* & ab eo perdiscere. Hic enim ex familiari cum Auctore conversatione de consilio ejus certus , candidè id ex

posuit in colloquio ultimo suo *Domitio*.

COLLO-

# COLLOQVIVM

PRIMUM.

JUBENTIUS :: DOMITIUS.

**J**UB. Unde nobis ades , mi Domiti , ocreatus  
 & scuticā prælongā armatus ? *Dom.* Ex Atheneo vicino. Persuaserunt enim commilitones  
 aliquot , Wetzlariam excursuri , ut eos comi-  
 tarer. Feci tanto libentius , quod scirem , te ve-  
 terem amicum ibi commorari , cuius alloquio fru-  
 endi futura esset occasio. Equitantem vero ocrea-  
 tum esse oportebat , neque , me hercle ! maci-  
 lentum caballum , brevi forte excoriandum , cala-  
 mo scriptorio incitare poteram. *Jub.* Benè est. Sal-  
 vum te esse lætor. Sed videris jam recurrere velle ,  
 urbem vix ingressus. Est hodie dies Audientiæ pu-  
 blicæ , simulque publicationis sententiârum , cui  
 interesse oportet , & Patrono meo , Advocato &  
 Procuratori , cuius negotiorum forensium curam  
 per aliquot annos gero , adsistere. Adeo , ut pa-  
 rum otii ad confabulandum mihi supersit , hac , qua  
 venisti , die. *Dom.* Imo vero revertendum mihi est  
 Gießam hodie. Revocatenim collegium Juridicum ,  
 quod

quod ibi frequento. Adpropinguat solstitium ver-  
nale , cœlum est serenum , adeo ut sub noctem re-  
verti queam. Intra horæ spaciū nostris caballis  
illuc transvehimur , qui strepitu & clangore scuti-  
carum , mirum quantum ! ad cursum incitantur.  
*Jub.* Sed quid si infessor aliquando cum caballo pro-  
sterneretur. *Dom.* Hoc studio non extimendum,  
ad varios casus confirmandus est animus. *Jub.* Er-  
go alio die redibis ? *Dom.* Id equidem certo affir-  
mare non possum. In nostris Collegiis Praxin Ca-  
meralem æque addiscimus. Cum essem ad Acade-  
miam dimittendus , mater mea vidua , cum peritis  
consilium iniit , quæ inter multas foret utilior ?  
Alii Jenensem , alii Hallensem , alii Tübingensem  
coaſſuluere. Placuit tandem Giessensis , tanquam  
Imperiali Cameræ proxima , cuius stylus ibi puta-  
batur esse magis , quam alibi cognitus. Animus  
autem mihi est operam dare studio forensi. *Jub.*  
Ego tamen utile credo tibi futurum , ut quæ in  
Collegiis audis , per experientiam confirmentur.  
In Academiis nonnisi ex libris hauriunt Cameralem  
praxin. Wetzlariæ , quæ in ipsis rerum argumen-  
tis obtinent , experimur. Proinde , ut ſaepe huc  
advoles , suadeo. *Dom.* Fiet , ſi modo pecuniae  
ad equum conducendum supersint. Sed quoniam  
abs te didici , fore hodie Audientiam publicam &  
ſen-  
bonp

sententiarum publicationem, ego, dum commilitio-  
 nes mei urbem transcurvant, temporis lucrum  
 sum facturus, peto igitur, ut me, si licet, in lo-  
 cum Audientiae deducas. *Jub.* Licet ingredi cuique,  
 modo modestè fese gerat. Sed properandum est,  
 cum audita sit hora post meridiem primam. *Dom.*  
 Siccine ad horas adstricta est isthæc solennitas? *Jub.*  
 Est omnino. Sine ordine temporis negotia rectè per-  
 agi nequeunt. Nonne & vobis Studiosis hora col-  
 legiorum observanda? *Dom.* Rectè mones. Sed  
 jam expectamus dudum, & nihil aliud video, quam  
 viros togatos in conclavi obambulantes? *Jub.* Hi  
 sunt Procuratores Imperialis judicij. Expectant au-  
 tem initium audientiae, quod interdum moram  
 habet, si horis antemeridianis Collegium Camerale  
 ultra duodecimam fuit congregatum. Sed ecce!  
 iam subsellia occupant Procuratores, intrat pedel-  
 lus, præferens sceptrum judiciale Serenissimo Do-  
 mino Judici, quem sequuntur ex Dominis Assessorib-  
 us quatuor. *Dom.* Quid sibi vult baculus iste sub-  
 niger? *Jub.* Sceptrum est judiciale, jurisdictionis  
 supremæ signum. Ejusmodi signa judiciaria anti-  
 quissima esse historiæ tradunt. Hoc verò sceptrum  
 ab ipso Cæsare Maximiliano I. gestum, & Judici  
 Cameræ traditum, conservatumque fuisse, vetus  
 est à majoribus accepta traditio. *Dom.* Quare non

F

universi

universi Assessores Audientiæ sunt præsentes? *Jub.*  
 Hoc antiquo tempore erat necessarium cum Audi-  
 entiæ celebrabarentur quotidie , posteaquam vero  
 animadversum fuit , negotia judiciariæ , actorum-  
 que relationes multum impediri tali confessu , ex-  
 terna ista prolixitas est immutata & compendiosior  
 facta Audientiæ frequentatio. Tu, Domiti, hic ex-  
 tra cancellos subsistes , & cuncta observabis. Mihi  
 locus est occupandus post subsellia , ut sim Patrono  
 meo ad manus. Finita Audientia me expectabis ,  
 & ulterius confabulabimur. *Dom.* Non profectò  
 pœnituit me hic ad tertiam usque horam adfuisse.  
 Sed multa sunt , quorum explicationem abs te de-  
 sidero. Ubi quæso erit locus nostræ contabulatio-  
 nis ? *Jub.* In museo meo , si placet , & poteroti  
 bi ostendere nonnulla ipso opere , quæ verbis ex-  
 ponni non possunt , tibi , in hac palæstra planè hospi-  
 ti. Verum quem audio equitantium & scuticarum  
 strepitum ? *Dom.* Sunt , ut video , commilitones  
 qui recurrent Gieslenam. *Commil.* Heus tu Do-  
 miti , nonne redire vis nobiscum ? *Dom.* Recurri-  
 te vos , si placet , ego satis mature sum reverturus.  
 Frustra enim hic fuisse nolo. *Jub.* Assideamus  
 huic mensæ , nam delassati sumus stando in Audi-  
 entia. *Dom.* Nisi abutar favore tuo , ex schedu-  
 la , quæ plumbo annotavi , ordine recitabo. Ali-  
 qua ,

qua , ipsa ratione dictante , intellecti , aliqua opus  
 habent explanatione . Quod Judex & Assessores  
 caput obtegant , autoritatis gratia fieri intelligo .  
 Quod is , qui prælecturus erat sententias , ( ajebant  
 adstantes mihi , vocari Protonotarium , ) inclinet se  
 coram Judice , mandatum publicandi nutu accep-  
 turus , facile colligo . *Silentium* , quod Pedel-  
 lus inclamat , baculo mensam feriens , satis percipi-  
 tur . Existimavi id à strepitu hominum adstantium  
 originem traxisse . Sed ex sententiis planè ni-  
 hil assequi potui , quid judicatum sit . *Jub.* Credo ,  
 nam hoc vix ii intelligunt , qui Camerali Praxi ope-  
 ram dederunt aliquamdiu . Soli Procuratores , qui  
 causæ inserviunt , vim sententiæ , quam audiunt ,  
 intelligunt . Interdum ipsis quoque , si non simul  
 advocando causam defenderunt , explicatione opus  
 habent , si , quæ insit sententiæ vis ac potestas interna ,  
 scire expediat . Id enim , non nisi meritis causæ peni-  
 tius cognitis , intelligitur . Deinde ad stylum sen-  
 tentiarum , quid unaquæque vox denotet , intelli-  
 gerendum , opus est exercitatione , neque per discur-  
 sum subitaneum exponi poterit . *Dom.* Ergo ea  
 de re imposterum uberiorem expectabo informatio-  
 nem . Audivi multari Procuratores in sententiis ,  
 mirum tantos viros non agere cautius ? *Jub.* Ipsí  
 quidem satis dolent , nomina sua , si multantur ,

publicè exaudiri. Sed hic reniti non licet superioribus. Homines sunt, & tentant pro cliente, quicquid juvare queat, restitutionemque mulctæ expectant. Si amicum habeat quis, a quo moneatur, facilis est modus cavendi, ne omnium oculi in eum qui mulctatur, cum expressione, ut fieri solet, & nominis, & causæ convertantur. Sequenti die excussus estrubor omnis. Audivi aliquando, quod non solum refusionem mulctæ, sed etiam pro reparacione honoris postulare quid liceat, quia propter clientem Procurator mulctatus. Num id fiat, asseverare non audeo, nam talia nobis non patent: Habent sua secreta Patroni. Crediderim tamen, si casus existaret, & judicio denunciaretur, animadversionem severiorem infecuturam. *Dom.* Quid verò est, quod aliqui scribunt, dum Protonotarius prælegit sententias: Annotatio hæc quare non fit ab omnibus? *Jub.* Annotantur rubricæ sententiarum, addita vocula aliqua, qua designatur, sententiam esse definitivam, confirmatoriam, reformatoriæ, paritoriæ, absolvitoriæ, non devolutivam, interlocutoriam, actoriam, litis contestatoriæ, proclama &c. &c. Ut ex catalogo quilibet Procurator eas causas, quas ipse tuetur, discernat, & in Cancellaria copiam, si opus, petat. Qui amanuenses Studiosos habent, curam annotationis his committ-

mittunt. Proinde nostrum est officium , ut Catalogum omnium causarum , quibus patroni nostri interviunt , habeamus. *Dom.* Sunt ne tam multæ causæ , ut catalogum scripto comprehendere operæ sit pretium ? *Jub.* Quidni ? Imprimis si aliquis Procuratorum dudum fuit in celebritate. Ego integrum volumen , quod hic vides , ordine alphabeticō conscriptum habeo. *Dom.* Mira res , litigiorum nunquam esse finem. Et si Procuratores singuli , quos vidi in subselliis magno numero , tot habent causas , quantus erit numerus cauſarum omnium ? Et quanto opus erit numero Assessorum ? *Jub.* Verum est , etiam pauciores Procuratores plus negotii facessere posse , quam Assessorum numerus præfens definire queat. Sed observandum , non omnes causas & decisiones esse difficilioris inspectio-  
 nis. In Catalogo mei Patroni , ceteroqui satis prolixo , causarum in quibus est occupatus , ( sunt enim multæ dudum definitæ ) si exceperim viginti circiter , reliquias facilioris laboris esse credo. *Dom.* Numne igitur honoraria Procuratorum à qualitate causæ æstimantur ? *Jub.* Absit. Eadem est ratio sive de mille Imperialibus , sive de centum millibus agatur. A labore , non à pretio causa , honoraria merentur Patroni. Potest esse causa levioris pretii , & magni laboris. Viciſſim alia expeditior , & magnæ

æstimationis. Interim qui magis honorant Patronos , hos honorari & coli præ cæteris , ratio dictat. *Dom.* An expectanda est Procuratorii solutio honorarii finita *causa* ? *Jub.* Fatuus esset , qui hoc faceret semper. Nam ex vento non vivitur. Sunt clientes , quorum crumena premenda est , dum dolet , juxta regulam discipulorum Hippocratis : Non repetitur datum. Et nemo adeò ineptus est , ut rationem inire nequeat pecuniae prænumerate. Idcirco ne defraudetur Procurator cavidum ipsi est à principio. Dantur multi litigantes ingratí , qui credunt , se non debere honorarium , nisi res ex voto succedat. *Dom.* Memini ex lecti-  
 nibus Academicis Procuratorem esse litis dominum , annon ergo dirigere poterit processum ad exitum speratum ? *Jub.* Næ tu mihi videris quovis Do-  
 mitio stultior. Dominium litis , si hunc haberet effectum , Procurator adversarius æquè foret litis dominus , & suo maneri non defuturus. Abusus est , si Procurator aliquis suam esse eam autoritatem apud judicem existimat. Meus sane Patronus valde hoc mihi inculcavit , quem tamen scio haberi in celebritate & existimatione. *Dom.* An ergo o-  
 mnes in æquali existimatione non versantur. *Jub.* Hoc à fortuna dependet , si cætera rectè se habeant , studia , sedulitas , prudentia. Nusquam ta-  
 men

men abest , nisi uno ex his deficiente . Quemadmodum verò in omni ordine ingenia hominum , non sunt æqualia , ita & hic usu venit . *Dom.* Quid consilii ergo ut largiora possint esse Procuratoris commoda ? *Jub.* Qui advocating etiam laborant , existimationem facilius acquirere possunt , & hic est gradus proximus ad clientes plurimos habendos . Tum vero studendum est , ut à Principibus & Statibus Imperii annua impetrentur salarya . Sunt etiam privati litigantes honoratiōres , qui ob plures causas , quas habent , annum salaryum promittunt . Sed plerique utuntur Advocatis extraneis . Credunt enim hos esse magis informatos . Et jam in unaquaque provincia numerus est Advocatorum tantus , ut alter alterum , ceu figulus figulum odio habeant . A meo Patrono didici , olim Spiræ præstantissimos totius Germaniæ fuisse Advocatos , ut , qui causam graviorem defendendam habuerit , Spirensem Advocatum sibi quæsiverit . Alii sunt hodie mores , & nimium evulgatæ artes . Deinde , ut antea memini , in tempore est vigilandum . *Dom.* Nimium deflectimus ab ordine Audientiæ . Quare discesserunt serenissimus Judex & Assessorum tres , uno remanente & sceptrum occupante . *Jub.* Finita sententiarum publicatione inceperunt , ut audiisti , Procuratores causas suas perorare . Huic rei auscul-

auscultabant olim Judex & omnes Assessores congregati. Cogita , quam tædiosa & somnifera fuerit auscultatio dictantium suos recessus , quos Notarii calamo excipiebant , ita ut in aliquot mensibus ordo inter Procuratores absolveretur. Sed huic rei remedium allatum post Recessum Imperii Anno 1654. Neque opus est , ut plures Assessores , quam unus , Audientiæ præsit. Quandoque etiam unus ex Dominis Præsidibus solium accusat loco Domini Judicis. *Dom.* Observavi silentium perpetuum ejus qui Audientiæ præest , nisi quod in juramento præstanto Procuratori verbis præierit. *Jub.* Verum est , & nihil habet quam hoc loquendum , qui Audientiæ præsedit. Nisi quod observaverim , quandoque , ubi Procuratores , contradicendo sibi invicem , moderationis terminos excederent , Assessorem interloquendo inhibuisse. *Dom.* In nostra patria etiam est illustre judicium provinciale , ubi tamen audientiæ hujusmodi non frequentantur. An ergo necessaria est Judicio Camerali Audientia? *Jub.* Est omnino ex prima hujus Judicii constitutione , & habet suos usus insignes , inter alios , ut non necesse sit partes ad quemcunque actum judiciale citare , sed quicquid sit Procuratore præidente , id vim habet notitiæ legalis. *Dom.* Ergo si absens est Procurator , cessabit iste effectus ? *Jub.* com-

Minime. Sufficit enim adesse ejus mandatum generale ad acta productum. Si valetudine vel alia justa causa impediatur , ut intersit Audientiae , poterit ex Collegis alium rogare , ut recessum scripto comprehensum in ordine recitet. Hinc mandata continent facultatem substituendi. Sed substitutus ordinarius non semper est is , qui rogatur , saepe aliis. Et nostri munera est plerumque quærere ex Procuratorum præsentium numero aliquem , qui hoc officio libenter defungatur. Seniores autem requirere solent juniores , non vicissim nisi sit proximus in subselliis. *Dom.* Nonne hoc faret munus substituti ordinarii ? Ad quid ergo substitutio ? *Jub.* Non ineptè quæris , sed ita res sunt comparatae , ut is , qui substitutioni consentit , de omnibus causæ meritis nihil sciat , neque ei à Procuratore Principali quicquam aperiatur. Adeo , ut haud raro substitutus parti adversæ officio suo adstat , suæ substitutionis immemor. Cautus fuit meus Patronus , ne à se id fieret. Eum in finem mihi demandatum fuit , catalogum substitutionum confidere , ne vel utriusque parti ignoranter fiat substitutus , vel adversariæ partis principalis Procurator. Duplex substitutio hac cautela evitabatur , & , si altera pars principaliter desideraret patrocinij , renunciabat Patronus meus substitutioni.

*G**Dom.*

*Dom.* Nondum audivi cuius usus sit substitutio.  
*Jub.* Lege est sancita, sed usus non alius, quam ut, existente fortè casu mortis procuratoris, sententia possit ferri contra substitutum, qui sæpenumero se esse substitutum, dudum est oblitus. Nam subscribit mandato substitutus plerumque in Audientiâ cum producendum est mandatum, & mutuos sibi honores eâ in re exhibere solent procuratores. Plerumque subscribere rogatur tanquam substitutus junior Procurator, non æquè ex senioribus aliquis à juniore. *Dom.* Ego credidi, ab ipso principali litigante eligi personam substituti? *Jub.* Minime gentium. Hi sæpe nec Procuratorem aliter quam solo nomine norunt, multò minus substitutum. *Dom.* Unde verò hoc accidit? *Jub.* Doccebo te hoc, Domiti. Procurator Cameræ parare sibi debet amicitiam & fiduciam Advocatorum, cum primis in provinciis, ubi regnant litigia. Hi quascunque causas ad hunc deferunt. Si opus est mandato transmittitur formula mandati typis impressa, & relinquitur plerumque arbitrio Procuratoris electio substituti. Ego diebus Juridicis horâ undecimâ antemeridianâ Cancellariam intrare soleo percontatum, an pro meo Patrono aliquod ex Senatu prodierit decretum, ubi simul rimari studiose didici, quis alias Procurator processus obtinuerit, tunc sine morâ nuncian-dum

dum hoc parti adversæ, & offerendum studium  
atque officium, addendo simul formulam man-  
dati procuratorii, cuius subscriptio petenda. Lici-  
ta hæc est patrocíniorum aucupatio. *Dom.* Sanè  
non contemnenda hic abs te disce, quæ nunquam  
in Academiâ docentur. Cum dixeris antea in non-  
nullis locis regnare litigia, scire vellem quænam  
urbes aut regiones isto nomine celebrentur? *Jub.*  
In universa Germania non est exiguus litigantium  
numerus. Testatur id magna ubique Advocato-  
rum copia, qui omnes de victu parando laborant.  
Qui praxin incipiunt, neminem ejiciunt foras. Meus  
Patronus non paucos aliis commendare solet. De-  
lectus enim habendus est clientum. *Dom.* Au-  
divi aliquando in collegio meo Academicō, Leo-  
dienses magnam messem præbere Dominis Procu-  
ratoribus laborum juxta & præmiorum. *Jub.* Ita  
creditum fuit aliquando, & felicior habebatur pro-  
curator, qui cum Leodiensibus Advocatis correspon-  
dentia, ut vocant, fruebatur. Meus Patronus nullas  
habet, neque, credo, habere voluit. Sunt homines  
generosi inter Leodienses, sicut alibi, sunt plures  
numero pecuniæ tenaces. Advocati domestici non  
desinunt ibi fructus, cum spes adhuc est in incre-  
mento, decerpere. Wezlariam plerumque derivantur  
reliquiæ, quando litigantes sunt ferè delassati. Ni-

mius Advocatorum Leodiensium numerus effecit,  
 ut hodie non adeo habeantur fructiferi clientes Leo-  
 dienses , quam erant olim. Deinde , quod antea  
 paucis ex ordine Procuratorum erat proprium, cau-  
 sarum Leodiensium patrocinium , jam in plures est  
 divisum. *Dom.* Perge quæso enarrare ea , quæ  
 vobis Amanuensibus incumbunt. Est enim mihi  
 consilium , addicere aliquando meam operam ali-  
 cui Procuratorum. *Jub.* Præcipua nostra cura  
 esse debet , ea , quæ ab adversario Procuratore pro-  
 ponuntur , accipere , notare , & in protocollum  
 domesticum digerere. Ergo , licet Procurator au-  
 dientiæ non intersit , nostra tamen præsentia & cura  
 supplere solet , quæ sunt necessaria. Intelligis , mi-  
 domiti , quantum sit positum in bono & rerum peri-  
 to amanuensi. Is omnium causarum curam gerit ,  
 monet , suggerit , quæ agenda sint. *Dom.* Quid  
 autem sibi vult ista sæpe repetita obambulatio pe-  
 delli , & amanuensium circumitio. *Jub.* Distin-  
 ctas res quæris. Distincta ergò opus responsione.  
 Pedellus circumit sciscitando , quis ex Procurato-  
 ribus aliquid proponendum habeat in debito ordine ,  
 & recessus cuiusvis copiam adversario procuratori ,  
 cuius nomen schedulæ inscriptum , accipit , tradit-  
 que. Amanuenses verò quandoque ipsi tradunt  
 copiam recessus , quando declinanda est alterius

21101

con-

contradic<sup>tio</sup>. Ego s<sup>a</sup>epius me contuli  $\grave{a}$  loco meo  
 ordinario , ad illum , qui est Procuratori adversa-  
 r<sup>o</sup> proximus, huicque recessum meum non prius tra-  
 didi, quam posteaquam  $\grave{a}$  Patrono meo esset recitando  
 absolutus , & ita excludebam contradictionem.  
 Sunt enim inter Procuratores , qui nihil facilè sine  
 contradictione transire patiuntur , & cum tales  
 recessus contradictori<sup>i</sup> dictentur Notario , temporis  
 fit jactura interdum , instat sententiarum publica-  
 tio , & vigilandum est , ne per contradictionem  
 talem aliquid scrupuli injiciatur. Nemo facilè hanc  
 praxin intelligit, nisi qui in ipsis rerum argumentis  
 versatur. *Dom.* Audivi aliquoties Procuratorem,  
 recitantem suum pensum ex scripto , aliquid corri-  
 gi velle : Inquit enim Protonotario & Notariis men-  
 sae adsidentibus : *Corrigatur, si placet.* Putarem hæc  
 domi accurate examinanda fuisse. *Jub.* Debebamus  
 quidem. Sed facilè est , ut error aliquis obrepat. Meo  
 Patrono id rarò accidit , quia , licet ego recessus le-  
 viores in Audientia habendos plerumque compo-  
 nam , ( nam qui momenti aliquid habent, ipsis Pro-  
 curatoribus curæ sunt , & s<sup>a</sup>ep cum Advocato  
 communicandi , vel ab eo expectandi ) securus  
 tamen esse possit de mea industria , & accurate  
 conscripta tabellâ. *Dom.* Qualem mihi nomi-  
 nas tabeilm<sup>a</sup> ? *Jub.* Tabellam vocamus folium  
 G 3 istud

istud unum , vel plura conjuncta in quo omnes recessus , in unoquoque ordine & unaquoque Audientia recitandi , conscripti sunt , & ad marginem cuiusque recessus nomen procuratoris adversarii expressum . Hujus tabellæ duo habemus exempla , eadem forma descripta , quæ ad mensam Notariorum per pedellum deferuntur , quorum unum penes Lectores manet , qui sunt Archivarii Camerales , alterum apud Notarios Cancellariæ , & quovis trimestri spacio in unum volumen compinguntur . Alia duo exempla sunt ad manus , quorum unum est Procuratoris proprium , ex quo recitat recessum viva voce , alterum est scissum in parvas schedulas , cuique causæ proprias , quæ traduntur Procuratoribus adversæ partis . *Dom.* Multum ergo laboris vestris manibus incumbit , si quemque recessum quadruplici exemplo describere oportet . *Feb.* Verum dicis , sed pro numero negotiorum hæc res non est amanuensis unius . Ego potissima curo , & reliquis pensa distribuo . Nuda describendi opera facile alii mandari potest , sed recessus ipsos quandoque componendi longè major & præstantior est cura , tum vero Calendarium terminorum legalium vel præfixorum , vel collectorum ordinatè habendi , omnes recessus protocollo majori doméstico accuratè inscribendi , & indicem

con-

conficiendi , aliquot millia epistolarum , corre-  
 spondentiarum , ut vocant , & sub finem anni votiva-  
 rum appreciationum ad clientes exarandi episto-  
 las ad locum cursus publici deferendi , & pecuniam  
 pro iis exsolvendi . *Dom.* Num verò literarum  
 sumtus Magistro cursus publici solvendi à procurato-  
 re erogandi ? *Jub.* Omnino , & hoc onere maxi-  
 mè gravatur officium Procuratorum , cum non sint  
 exigui sumtus , & difficilis à clientibus recuperatio  
 qui tamen de statu rerum suarum informari volunt .  
 Hinc si prænumerationem postulet Procurator , hoce ei  
 vitio non vertendum . Cura rationum etiam mihi  
 est commissa . *Dom.* Ita , ut audio , non multum  
 otii vobis superest . *Jub.* Certè parum , si neglig-  
 entes haberi nolimus , & maximè ab audientiâ  
 post publicationem sententiarum . Nostra tamen  
 versatur utilitas in addiscenda Camerali praxi , &  
 acquirimus notitiam rerum forensium & persona-  
 rum , facilioremque aliquando aditum ad officium  
 aliquod publicum . Me hic fuisse , & Patrono meo  
 inservisse nondum pœnituit . Sed tamen ætas mea  
 invitat officium proprium quærendum , & ad uxori-  
 rem ducendam . *Dom.* Ego igitur , cum hodie  
 fuerit dies Audientiarum & sententiarum publicatio ,  
 tibi incommodare amplius nolo , advesperascit  
 jam , & videtur insurgere aliqua tempestas , alia vi-  
 ce

ce ulteriorem discursum tuum, ex quo iam doctior  
Giessenam redeo, expetitus. *Jub.* Eris mihi sem-  
per gratus, & ego tuo desiderio non defuturus. Ca-  
ve ne equus te ejiciat. *Dom.* Nullum est pericu-  
lum, modo ego equum non portare debeam, qui  
fessorem vix gestare posse videtur. *Jub.* Tanto gra-  
vius periculum. Ergo feliciter abi, & Vale.

## COLLOQVIVM SECUNDUM.

*DOMITIUS. JUBENTIUS.*

**D**OM. Salve mi Jubenti, amicè charissime!  
Non potui non ad te reverti, cum à nupe-  
ra conversatione tanto desiderio, plura abs-  
te discendi, fuerim inescatus. *Jub.* Salve vicis-  
sim, charissime Domiti. Sed die Dominica te non  
expectassem. *Dom.* Evidem hac die veni, ut per-  
noctarem Wezlariae, quo magis sequente die tota  
fruerer, si licet, tua instructione. *Jub.* Consi-  
lium non est malum, poteris enim crastino die ho-  
ris matutinis confluxum sollicitantium tuis oculis  
cernere. Sed interim tu sacris non interfueristi?  
*Dom.* Interfui in hac urbe à prandio. *Jub.* Mi-  
rum,

rum, si tu studiosus Academicus tantum habuisti  
 & patientiae & devotionis. *Dom.* Quasi vero stu-  
 diosi essent ab hac virtute alieni. *Jub.* Certè vos  
 ea decret maximè. Sed vidimus hic saepe studio-  
 sos, ædem, cum sacra celebrarentur, ingressos, non  
 auditum, sed spectatum, & post gesticulationes  
 aliquas, quibus aliorum auscultantium attentio tur-  
 batur, mox recurrentes ad diversoria. Nescio an  
 Jenensium quorundam studiosorum mos, quem  
 ego olim saepe non absque offensione vidi, ad vos  
 Giessenam translatus fuerit. Tu si meliora seque-  
 ris, si mente es saniore, senties apud temet ipsum  
 quantæ sit tibi futurum utilitati. *Dom.* Imo  
 verò juvenilis ista infania mihi valde displaceat,  
 quando à parentum vel præceptorum reprehensio-  
 ne liberati, hac sua libertate ad immodestiam usque  
 abutuntur, aliorumque exempla non bona, sed re-  
 prehensione digna, imitantur. Auscultavi attente  
 sermoni sacro hodierno, nihilque quod offendere  
 posset orthodoxos, audivi. Nescio an fuerit is  
 cui, ut auctio, de doctrinalis movetur *Jub.* Fuit  
 sed præstat Domiti, ut ea de re tuum suspen-  
 das judicium. Ex uno sermone Doctor Eccle-  
 siasticus non dignoscitur. *Dom.* Credo,  
 sed fama est apud plerosque, ut accepi, op-  
 tima. Nemo sanè Theologos publice proba-

H

tos

tos absque injuria heterodoxiae est insimulatus.  
**Jub.** Mihi quidem hisce de rebus inquirere per alia negotia non licuit, sed quantum ex ore  
 Procuratoris Patroni mei audivi, huic ille non  
 probatur. **Dom.** Quamborem? Putarem quam  
 ex fructibus dignosci debere Doctorem? **Jub.**  
 Nescisne tu quoque fuisse inter Doctores reprobatos, in quorum externis moribus nihil  
 fuit reprehensione dignum? **Dom.** Putas-  
 ne tu omnes, qui ab aliis reprobantur, pro-  
 pterea esse reprobos? Inverte casum, agnosces  
 errorem tuum. Meâ sententiâ, hoc ipso, quod in-  
 ter ipsos nostrâ Confessionis Theologos in Acade-  
 miis probatos, non eadem est hisce de rebus est sen-  
 tentia, certum fit, quod disputatio tota, si forte ali-  
 qua non est de solis verbis, non sit de articulis fi-  
 dei fundamenta attingentibus: Alias enim ex u-  
 nâ aut alterâ parte Theologorum ad officia pu-  
 blica docendi, & in Academiis quidem, non essent  
 recepti: Proinde cum qui alterutrius sententiam  
 laudat, inter reprobos habendum non esse. **Jub.**  
 Ego in hac materia me non satis versatum esse a-  
 gnosco. Proponam quæ dixisti data occasione Pro-  
 curatori meo, & alia vice tibi respondebo. Vocor  
 jam ad disponendum crastinas rerum forensium curas.  
 Proinde crastino mane ad me redibis, comitaturus

me

me ad curiam. *Dom.* Adero ante horam septiniam matutinam, interim vale. *Jub.* Tu quoque nocte quieta fruere. *Dom.* Adsum ut iussisti, & video te, mi Jubenti, occupatissimum. Multosque utriusque sexus homines tuum expectantes auxilium. Credo esse hic, causas suas sollicitaturos, sed ex gente rusticâ vel infimâ plebe. *Jub.* Sic est, & à Patrono meo ad me missi, ut cum ipse honoratores aliquos audit, ego his qualemque largiar solatium tradendo iis schedulas sollicitatorias, quibus unusquisque Dn. Judicem, Dnos. Præfides, Dnos. Assessores aggrediatur quotidie. Nos enim non decet talis importunitas, quæ rusticati facilius condonatur. *Dom.* Habetne flagitatio ista eum effectum ut matetur negotium. *Jub.* Nequaquam. Interim, alia ratione liberari ab hoc genere hominum non possumus, qui Procuratorum ædibus quotidie sunt molesti, nisi manus eorum schedulis impleantur. *Dom.* Multum ergo operæ facessunt hæ schedulæ? *Jub.* Quidni? Sed tamen ad rationes referunt aliqui hunc laborem. Apud nos amanuensibus non invidetur, si aliquid honorarii dare velint litigantes: Sæpen numero unum exemplum schedulæ sufficit, in quo describendo aliquoties, ipse cuius causa agitur, si artis scribendi est peritus, & leviori sumptui vel ob indigentiam propriam vel ob tenacitatem par-

cere studet, à meridie est occupatus. Sunt enim, qui nihil aliud quam hoc agere possunt vel volunt. Sunt alii, etiam Procuratores, qui typis mandari currant schedulas sollicitatorias, quibus uti possint ubi opus, & sic liberantur amanuenses ab istâ operâ idque fieri optant qui nobiliori labore occupari possunt. *Dom.* Vellem ut explicares mihi modum schedulas has conficiendi. *Jub.* Rubrica processus primo loco nominari debet, personarum, tandemque petiti, jam pro decreto, jam pro sententia. Interdum causæ merita potissima, quantum schedula capit, inserenda, sed hoc operæ non est perfunctoriæ. Quibus ampliores sunt facultates, curant ab Advocate etiam speciem facti ex Actis elaborari cum rationibus sui petiti, eamque typis mandatam distribui. *Dom.* Quare in hâc schedula additum est: *Summum in mora periculum:* *Jub.* Evidem hoc partes addi volunt, ut forte decretum vel sententia maturetur, frustra tamen hoc speratur neque Dni. Assessores ideo citius causam referunt, neque esse tale periculum statim ideo credunt, quod schedula hoc dicat. *Dom.* Explica mihi has abbreviaturas in schedulis *Mdti. S.C. C.C. Cit.* *Jub.* Significatur esse causam *Mandati Sine Clausula* vel *Cum Clausula* vel *Citationis:* *Dom.* Qualem mihi nominas *Clausulam.* *Jub.* Quæris rem, quam credo

credo esse adhuc ultra captum tuum. Clausula in-  
 telligitur justificatoria facti ob quod Mandatum fuit  
 impetratum. Sed hæc res uberiore opus habet ex-  
 plicatione quam ut hoc loco & tempore fieri que-  
 at, Commentarii ad processum Cameralem hic  
 sunt adeundi, inter omnes præcipuus Blumii. *Dom.*  
Quidnam significat in schedulâ hâc abbreviatio *S.Q.*  
 forte denotat *Senatus Consultum Quirinianum*. *Jub.* Ha, ha, hæ! Quale tu mihi hîc Se-  
 natus Consultum fingis. *Dom.* Audivi à commilitonibus meis Academicis aliquando hoc nominari.  
*Jub.* Nisi mihi verba das, crediderim lusus gra-  
 tiâ aliquem ineptivisse, quod seriò accipere non  
 oportet. Abbreviatio *S.Q.* Rubricam actorum &  
 processus *Simplicis Querela* denotat, cuius expli-  
 catio ex commentariis petenda, nam tu, si pateris ti-  
 bi imponi à commilitonibus, ut *SCtum Quirinianum*  
 aliquid erdas, quovis Dupondio es imperitior.  
*Dom.* Gratias tibi habeo pro correctione meæ i-  
 gnorantiae, neque mihi posthac verba dari patiar.  
*Jub.* Eamus jam in publicum, audita enim est ho-  
 ra septima & videbis undiquaque sollicitantes.  
*Dom.* Ecce hic virum ornatissimè vestitum,  
 comitantem foeminam non minus comtam,  
 si esset meridies, putarem esse conjuges ad con-  
 vivium nuptiale euntes. *Jub.* Ita decet incedere

Procuratores si ad Dm. Judicem Dnos. Præsides &  
 Assessores clientes suos deducere velint ut copiam  
 habeant sua desideria coram exponendi. Ecce hic  
 alius ex Dnis. Procuratoribus intrat, stipatus aliquot  
 civibus ex universitate. *Dom.* Fitne hoc omni-  
 bus clientibus qui præsentes sunt & quotidiè? *Jub.*  
 Absit, quis enim hoc pati posset. Sufficit ut fiat se-  
 mel vel iterum, neque ut gratis hac opera defungan-  
 tur Procuratores, clientes boni desiderant. *Hodie*  
 hic accedit, cras aliud. Et non mediocris est in-  
 commoditas, clientes non modo domi audire pa-  
 tienter, sed etiam vestiri, deinde palliatum per plateas  
 obambulare, quandoque tempestate ventosa quæ co-  
 mām benè dispositam & pulvere farinaceo dealbatam  
 disjiciat. *Dom.* Eheu! quantus hominum conflu-  
 xus hic est in anticamera Dni. Judicis. Horumne  
 omnium causæ hodiè tractabuntur? *Jub.* Paucis-  
 simorum quidem fieri potest, sed solatium quale  
 cunque habent clientes & ipsimet Procuratores, si  
 patienter audiuntur. *Dom.* Estne satis temporis  
 ut etiam Dnos. Præsides & Assessores ante Consili-  
 um accedant hi omnes *Jub.* Non est ut intelli-  
 gis, neque hoc querunt. Alii quotidie hic se si-  
 stunt, ut solo aspectu meminerit ipsorum Dnus. Ju-  
 dex, si jam aliquoties alloquendi eum data fuit oc-  
 casio. Alii alio die convenient Dnos. Præsides.  
.011

Ra-

Rarius patiuntur alloquium Dni. Assessores, neque iis  
incommode licet adeo frequenter. His enim labo-  
rum ratio est habenda. Pergamus ad curiam, vide-  
bis hic varii generis sollicitantes. *Dom.* Video, &  
ecce! hic aliquis Dno. Assessori in transitu schedulam  
suam obtrudit. *Jub.* Summa est quandoque isto-  
rum hominum rusticitas, & putant, nisi omnibus  
schedula tradatur, peccatum aliquid fore. Ob-  
serva, Domiti, aliquos occupare certum locum  
à quo dimoveri se non patiuntur, non magis quam su-  
tores in nundinis. Aliquos schedulas suas magnis  
literis, alios coloribus, alios ligulis sericis, ornare.  
*Dom.* Quem in finem? *Jub.* Credo putare  
eos quod hoc ratione memoria causæ firmior sit fu-  
tura. *Dom.* Si quotidie tot schedulas accipi-  
unt Dni. Præsides & Dni. Assessores singu-  
li, putarem oblivisci eos causarum quæ in tanto  
numero celeriorem desiderant expeditionem. *Jub.*  
credo id fieri nonnunquam, proinde ut audio Dns.  
Judex & Dni. Præsides notare solent eas quæ ma-  
turatione opus habent. *Dom.* Ita fortè etiam bibliop-  
ola suum locum tuetur in vestibulo Curiæ? *Jub.*  
Evidem hic non est hic sollicitatum, sed merca-  
tum: Et commoda est occasio, ubi multi con-  
currunt literati, cum emtoribus, tum venditoribus.  
*Dom.* Video etiam Procuratores hic esse  
solli-

sollicitantes. *Jub.* Utique, si fortè brevibus verbis  
 sese expedire possint. Et oblerva hos non in turba  
 stare, sed locum commodum, ubi alloquio frui pos-  
 sint, occupare, omnes ut decet palliatos. *Dom.*  
 Introierunt jam Senatores sua quisque triclinia, nihil  
 hic observandum superesse credo. Quid cessamus  
 discedere domum ? *Jub.* Speculatus sum ego ad-  
 huc, in quo triclinio qui, & quanto numero Assesso-  
 res, congregarentur. *Dom.* Quem in finem ?  
*Jub.* Tibi hoc explicatu difficile, neque omnia  
 pandi debent. *Dom.* Videris hic esse invidiosior.  
*Jub.* Minime, sed quia longiori discursu opus foret  
 quam tu pati possis vel intelligere. Abeamus jam  
 domum, horà undecimà reddituri. *Dom.* Dic mihi  
 jam qua ratione unus Dn. Judex & Præsides duo Sena-  
 tibus pluribus præ esse possint. *Jub.* De officio ipso lo-  
 quitur ordinatio. In Senatu quomodo sese gerant, ego  
 sanè scire non possum. Hoc observavi, quod non sem-  
 per in eodem versentur Senatu, sed in hoc jam, jam  
 in illo, adeo ut nulla dies transeat in qua Dn. Judex  
 non ierit omnes Senatus visitatum. Ipse enim quid  
 in unoquoque agatur scire debet, & credo cum Dn.  
 Præsidibus eum convenire, ubi sua, vel unius ex ipsis,  
 necessaria sit præsentia. *Dom.* Licetne in Musæo  
 tuo bibliotheculam tuam inspicere. *Jub.* Licet,  
 nihil magnopere comparavi mihi, cum hic loci ma-  
 nere

nere perpetuò non sit mēi consilii. Patronus meus  
 Procurator instructissimam habet bibliothecam, quā  
 si opus habeo liberè utor. Dom. Non parvi ha-  
 bendum est hoc beneficium. Qualis hic per ma-  
 gnius liber, vidi tales in ædibus Argentariorū mer-  
 catorum. Jub. Externā formā talis est, sed intus  
 est protocollum domesticum mei Procuratoris. Hic  
 meus labor præcipuus ut ordine omnes recessus in-  
 scribantur Audientiæ cuiusvis, tam à meo quam ab  
 adversæ partis Procuratore prolati, nomina causarum,  
 deinde in indicem alphabeticum, indicato folio cu-  
 jusque recessus referuntur, signatum frustulis mem-  
 branæ, ut scis libros Pendectarum signari. Dom.  
 Hoc mihi foret incommodum, semper novum e-  
 volvere folium, præstare puto ut causæ uniuscujus-  
 que recessus protocollares separatim conscriberentur  
 in una serie. Jub. Faciunt id aliqui. Sed dupli-  
 catus foret labor, cum nihilominus liber talis univer-  
 salis faciendus foret, quia facilius est ut separata  
 charta deperdatur, quam tantæ molis liber. Ego  
 credo in nostro musæo diligentius quam in mul-  
 tis aliis res ordinatas esse, & vidi apud aliquos mei  
 ordinis amanuenses res multò confusiores, ut ne-  
 cesse sit ad acta in Lectoria Camerali, h.e. Archivo,  
 existentia, recurrere. Dom. Fasciculos actorum  
 in hoc musæo plures video quam capere queat

*Jub.* Acta integra ne quidem adsunt nisi in paucis causis , præcipue vero in iis quas Patronus meus advocando defendit ; *Dom.* Unde ergo ista fasciculorum moles ? *Jub.* Præter fragmenta quædam Actorum , sunt maximam partim Epistolæ litigantium vel Advocatorum & ad eos perscriptarum copiæ . Nec non rationes expositarum pecuniarum , debiti & accepti honorarii . *Dom.* Si de exponendis pecuniis audio , dura mihi videtur conditio Procuratorum . *Jub.* Credo , ut adeo sit mirum , esse quotidie , qui titulo Advocati vix biennio otiose gesto , ad numerum recipi velint . Auditur jam hora undecima quâ redire me oportet ad fores Cancellariae , quæsitum , an num aliquid decretorum adsit ad supplicas quas præteritis diebus & hodiè , ut vidisti , Notario ordinario , quem hebdomatarium vocant , protocollo rerum exhibitarum inscribendas , & ad Senatum deferendas tradidi . *Dom.* Abeamus ergo , *Jub.* Vides hic nomina Procuratorum proscripta , quibus decreta hodie data fuere in Senatibus . Hem ! adsunt pro meo aliqua , quæ jam sum petiturus . *Dom.* Utinam sint tibi exoptata ! *Jub.* Unum saltim satisfacit , cetera sunt dilatoria . *Dom.* Ego nullum video decretum in Supplicâ de quo adeo lætari videris *Jub.* Unum verbulum , quod hic vides Erkanst , in Consilio , addito die hodieño , sufficit :

Hoc

Hoc enim, toti petitio Judicem annuisse, indicatur, & est Mandatum sine clausula à cliente valde desideratum. *Dom.* Dicebas reliqua decreta esse dilatoria? *Jub.* Sunt aliqua prælocutoria, ad aliquid ulterius producendum, aliqua literas informatorias à Judice inferiore requirunt, qui modus hac tempestate plus quam olim frequens, cum primis in Appellationis processibus, Procuratoribus non satis placet. *Dom.* Quam ob rem? *Jub.* Una est ratio, quod appellans non expectare possit literas à Judice appellationi faventes, altera, quod Judex inferior pronus sit ad executionem si animadvertis superiorem Judicem de appellationis necessitate dubitare. Sed huic rei est remedium: crastino die petendum, ut annexatur *temporalis inhibitione*. Tertia, quod si hac ratione causæ terminentur, non multum habeant agendum Procuratores: ut taceam sumtus appellanti erogandos pro literis informatoriis, & Advocato pro elaborandis refutatoriis. *Dom.* Certusne es de *temporali inhibitione*? *Jub.* Experiri licet. Si denegatur, apud Judicem inferiorem tentandum, annon mora imponi possit. Si est discretus, ipsis literis superioris pro informatione, quibus suspendi latem appellationis processus videt, inesse eam vim arbitratur, ut, donec de superioris ulteriori decreto constet, ab executione abstineat. Ecce aliud decre-

tum in quo Patronus meus uno floreno multatur, ob  
 non additam supplicæ sententiam instantiæ primæ,  
 cuius illa à quâ appellavit est confirmatoria. Sanè  
 defectum hunc scivimus, sed restituet hunc flore-  
 num cliens, qui cum reliquis necessariis transmitti  
 non fecit: Interim exhibenda fuit supplica, ne fa-  
 talia laberentur, neque inutilis est mora, quia cul-  
 pa facile in Advocatum rejici potest, interim favore  
 appellationis fatalium prorogatio obtinetur. *Dom.*  
 Cujusnam manu scribuntur haec decreta, credo  
*DD. Assessorum & Referentium?* *Jub.* Minime,  
 sed Notariorum Cameræ. *Dom.* Suntne hi scribæ  
 Judicij ordinarii? Nulline Secretarii? *Jub.* Olim  
 alii erant Secretarii, alii Notarii, sed jam dudum  
 haec officia sunt conflata, ita ut Notariorum Came-  
 meræ munus sit idem quod Secretariorum. Quem-  
 admodum autem in aliis Dicasteriis varii sunt Se-  
 cretariorum ordines, ita apud nos Notariorum.  
 Alii Protonotarii, quibus incumbit expeditio pro-  
 cessuum decretorum, sententiarum publicatio & in  
 Audientiâ publicâ unus ex Protonotariis quem ordo  
 tangit, ad mensam Notariorum supremo loco sedet.  
 Tum etiam protocollorum pleni cura. Alii sunt  
 Notarii speciatim ita sic dicti, qui vel in Senatibus  
 deliberationes audiunt, vota &c. decreta protocollo  
 inserunt, vel in Cancellaria supplicationes recipiunt;

in

in protocollum rerum exhibitarum referunt, addito die & anno: Easque distribuendas quotidie ad Dnm. Judicem deferunt. Hi inter se quavis septimana officia partiuatur & ideo vocantur hebdomarii, omnibus vero praest Dns Cancellariae Praefectus qui munera obeunda Cancellariae personis omnibus distribuit, eosque ad officia facienda, ubi opus, admonet, & corrigit. *Dom.* Quare nominasti Notarios speciatim ita dictos? *Jub.* Ad differentiam reliquorum Lectorum sive Archiviorum quietiam Notarii creati sunt, quorum tamen eorum munus est neque in Cancellaria neque in Senatibus. Sunt etiam inter reliquias personas Cancellariae aliqui Notarii creati. Potest aliquis esse Notarius Cameræ sive Secretarius, qui tamen non est Notarius per Comitem Palatinum creatus. Horum officium non est, nisi sint requisiti. Cameræ Notariorum est constans, scit unusquisque, quid sibi quotidie agendum incumbat. *Dom.* Audivi aliquando denominationem Notarii simplicis quam intelligere vellem? *Jub.* Dicitur Notarius simplex qui a Comite Palatino est creatus & in matriculam Notariorum Cameralem non relatus, hoc enim fieri non solet, nisi prævio examine accurripi doctrinæ in tali officio jam tum probatae per exercitationem. Fit autem hoc examen per duos ex Dnis Assessribus, *Dom.* Ergo innumeros habet Camera Imperialis

rials Notarios, quotusquisque enim est qui studiis suis confisus, ad matriculam referri non exoptet.  
*Jub.* Videristi mihi existimare quod Notarii matriculæ inscripti sint iidem qui Notarii Cameræ.  
*Dom.* Certè hoc putabam, ergo clarius me doce differentiam.  
*Jub.* Notarii matriculæ inscripti examine prævio (quod etiam fieri potest per Commissarios si petens matriculam sit absens, factâ ab iis relatione cum testimonio bono) non habent idcirco officium aliquid in Camera, aut Cancellaria, hi enim sunt numero tantum sex aut pauciores, sed manent in patriâ suâ vel alibi ubi ex studiis vivere possunt.  
*Dom.* Ad quid igitur matricula?  
*Jub.* Multum omnino. Primo, ad testimonium doctrinæ, deinde ad maiorem fidem in officio, nam pluri- buitur instrumento vel testimonio Notarii immatriculati quam simplicis.  
*Dom.* Quare hoc, putabam à Comitibus Palatinis etiam examinari & jure jurando obstringi?  
*Jub.* Id quidem est verum. Sed quemadmodum interest inter Comitem Palatinum & Comitem Palatinum, ita inter Notarium & Notarium. In Camerâ Imperiali major debet esse rerum certitudo, doctrina mores & exercitatio perspecta.  
*Dom.* Nondum satis didici ordinem quem tenent Notarii Cameræ inter se in Cancellariâ & Senatibus.  
*Jub.* Qui in Senatu sunt à manibus proto-

col-

colli, in Cancellariâ alios labores non habent, satis  
 occupati ad protocolla ordinatè conscribenda, si  
 procrastinare aliquid nolint. Fides protocolli debet  
 esse in concusla. Et hi non facile mutantur in Sena-  
 tibus. Ceteri in Cancellariâ labores habent distri-  
 butos & horum unus dicitur hebdomatarius, ce-  
 teri alias habent occupationes. Ille qui in Senatu  
 est, eo finito supplicas cum decretis inscriptis de-  
 fert ad Cancellariam ubi per hebdomatarium tra-  
 duntur Procuratoribus vel amanuensibus. *Dom.* Ita  
 vero per notam manum Notarii facile est scire ex quo  
 Senatu decretum aliquod prodieit? *Jub.* Imo  
 verò ille Notarius qui in Senatu fuit decretum in-  
 scribit tantum illi exemplo supplicæ quod in Can-  
 cellariâ asservatur (duo enim exempla cuiusque  
 supplicæ semper sunt exhibenda à Procuratoribus)  
 alteri quod Procuratori traditur, inscribitur decretum  
 manu hebdomatarii, cui nequidem, ut audivico-  
 pia datur protocolli Senatus inspiciendi. Sed ne-  
 scio an Notarii semper adeo sint tenaces inter se ip-  
 pos. Erga Procuratores sunt plerumque nimium,  
 ut citius clavam ex manu Herculis extorseris, quam  
 ab his quidquam quod scire nobis foret utile. *Dom.*  
 Quam felices sunt Notarii quibus aditus datur ad Se-  
 natus, qui deliberationes audiunt & in utilitatem suo-  
 rum studiorum convertere possunt quæ didicerunt!  
*Jub.*

*Jub.* Omnino. Et ego si contigisset mihi in juventute tale officium non optarem præstantius. Sed sciendum est eos tantum fructus capere , qui fundamētis Jurisprudentiæ solidis non sunt destituti , atque ad altiora officia adspirant. Si per aliquot annos officio Notarii sunt functi , de promotione ulteriore ad aliâ officia sunt certi. Qui verô aliud non desiderant , contenti sunt , si qualitercumque munere fungi possint. Stetimus tatis in hoc angulo plateæ , pergamus si placet , prætereuntes enim credent nobis hic nescio quid rei esse. *Jub.*  
*Placet : Dom.* Quem numerum studiosorum video nobis obviam venientem , crederem esse hic aliquem Professorem à cuius Lectione ipsi veniunt. *Jub.* Similitudinem habet aliquam. Et habitat hic aliquis Doctor qui adventantibus solet ex Blumio processum Cameralem exponere. *Dom.* Est ne is solus qui in ea re adjuvat studiosos ? *Jub.* Sunt etiam alii ex Advocatorum & Procuratorum numero , qui potentibus & non ingratis ea in re officium præstant. *Dom.* Audivi saepè Giesenæ , quod ex frequentatione musæorium Procuratorum magna capiatur utilitas : Si acta integra Camerafia non sunt penes Procuratores , quidnam discitur in musæis ? *Jub.* Vident , quibus aditus permititur , Protocolla , & modum recessus componendi ,

di, supplicas formandi aut in ordinem redigendi, brevi ? *Schlendrianum* forensem. *Dom.* Sæpe de hoc Magistro audivi, vellem & ego eum audire. *Jub.* Poteris si volueris, sed jam est prandii tempus postea Audientiæ & componendæ mihi sunt Tabellæ sive Designationes Recessuum, redibis si placet horâ primâ, & comitaberis me ad Audientiam, in quâ eliens aliquis noster Judæus, Juramentum publicè præstabit. Non ipse quidem sed per alium Judæum qui ordinarius esse solet Mandatarius, & satis obduratae frontis. Neque enim Christianus à Judæo mandatum ad jurandum accipit. Indigna res foret jurare, etiam mandatario nomine eorum qui, non verentur pejerare si agunt adversus Christianum : *Dom.* Non sanè negligam hunc actum observare. *Jub.* Seis jam ubi meus sit locus, ubi tuus, finitâ audientiâ quæ hodie est ordinaria, i.e. sine sententiarum publicatione præsente Dno. Judice, observata ab te recensebis. *Dom.* Quidnam hic ex fenestrâ Auditorii, per Pedellum in publicum proclamat? *Jub.* Bene hoc observas. Proclamata quæ audisti hodie adversus non comparentes in sententiis decerni, per pedellum proclamat? *Dom.* Quibus verbis? Nimirum festinanter loquitur iste. *Jub.* Repetit sententias singulas, proclamatum e.g. In Sachen N.

vvieder N. Citat ist das ruffen hiermit erkant, & ad-  
 dit pedellus ad unamquamque verba sequentia: zum  
 ersten, zum andern, zum drittenmahl. Dom.  
 Quis effectus hujus rei. Jub. Ut in contumaciam  
 contra reum procedatur si à die publicatæ sententiæ  
 intra dies sex Audientiarum non compareat. Dom.  
 Si ergo hoc sciunt Procuratores, quare non compa-  
 rent in tempore Jub. Si mandatum non habent,  
 comparere non possunt. Si habent, interest quan-  
 doque magis florenum, qui Pedello debetur, pro  
 proclaimate exsolvere, qua ratione purgatur contu-  
 macia, quam ante publicatum proclama comparere  
 Dom. Vidi & audivi res quas nunquam alias di-  
 diceram. Observavi actum juramenti Judæi, me-  
 minitamen me audivisse Judæos jurantes consistere  
 debere in corio porci, quod tamen hic non vidi,  
 Jub. Ad antiquas fabulas hoc pertinet, hæc quæ  
 vidisti, & non alia solennia observantur. Dom. Mi-  
 ra sunt mihi ista omnia. Allocutio Protonotarii,  
 responsio Judæi, quam tamen ubi maledicti no-  
 minantur, non erubuit effari: quod caput pileo te-  
 gat: denudatum brachium, decalogo Hæbræo  
 imponens, & reliqua. Jub. Ita res est, & lege  
 Camerali verba omnia sunt præscripta, quæ tibi  
 hic legenda evolvam: ceterum istos clientes non  
 ægrè ferimus, quia largius solvunt, & promptius.  
 Dom.

*Dom.* Observavi præter confessum solennem ,  
*Dn.* Judicis & quatuor *Dn.* Assessorum reliqua o-  
 mnia esse eadem quæ nuper fuere à me notata. *Jub.*  
 Rectè dicas , neque alius esse modus debet. Audisti  
 tamen aliquas sententias publicari : Actorias , pro-  
 clamata & alias levioris momenti , definitivæ enim  
 ad solennem publicationem reservantur. *Dom.*  
*Audivi*, sed oblitus sum sciscitari, num iudicem Asseso-  
 reres publicationi, vel solenni vel minus solenni, adsidente-  
 ant, qui fuere sentiarum auctores vel earum causarum  
 referentes *Jub.* Minime nisi id fiat ex accidenti, nam  
 non alii Audientiae adsident quam quos ordo tangit,  
 quem observare & monere officium est Pedelli. *Dom.*  
 Putarem istas circumcursitationes auscultantium ,  
 & collocutiones corrigi debere. *Jub.* Collocutio-  
 nes fieri submissâ voce, reverentia exigit , circumire  
 oportet , nos cumprimis, quia habemus cum aliis  
 Procuratoribus communicanda. Id tamen ne fiat cum  
 strepitu, monet quandoque Pedellus. jussus ab Af-  
 fessore præsente. *Domit.* Audivi aliquoties Pro-  
 curatores se invicem interrumpentes inter peroran-  
 dum, putabam id decorum non esse. *Jubent.* Inter-  
 ruptiones istæ indiscretæ valde dispicunt Procurato-  
 ribus senioribus & optarunt à Superioribus modum  
 ponî. *Dom.* Qualem verò modum ? *Jub.* Aliqua-  
 do recessui cuidam contradicitur è vestigio , & qui-

dem verbis brevissimis, quod est tolerabilius, & in-  
 hæret alter suo petito per vocem *Priora*. Pro-  
 lixiōres recessus ad calamum dictari ægrè ferunt &  
 Assessores & Notarii. Alia irrepsit consuetudo inter-  
 rumpendi, quando forte seniorum aliquis absens ju-  
 niorem substituit ad recessum publicè legendum.  
 Cum itaque unusquisque in suo ordine etiam per  
 substitutum, audiatur, accidit saepius ut junior ille  
 substitutus alium seniorem, qui vix perorare in-  
 coepit, interrumpat : *Pro Domino Doctore N.* Huic  
 rei in primis remedium foret adferendum. *Domit.*  
 Explica quo modo ? *Jubent.* Aut ipsi juniores  
 Domini, si ab aliquo seniore rogati sunt ad legendum  
 pro ipsis recessum, deberent hoc mature indicare,  
 non verò expectare dum aliquis ex sequentibus in  
 ordine assurrexerit & dicere incooperit, qui deinde  
 interpellatus, auditio nomine Procuratoris in ordine  
 præcedentis, confestim, & cum rubore aliquo,  
 retrahere orationem suam debeat : Aut rogandus  
 foret vicinus Procurator præsens, qui vicinum sta-  
 tim monere possit. Sed ut nuper, ni fallor, dixi,  
 substitutiones tales plerumque junioribus deferun-  
 tur, quos proinde meminisse oportebat ut cave-  
 rent, quod ipsi fortè ægrè essent laturi. Tandem erit  
 expectanda lex à superioribus. *Dom.* Iuramenta appel-  
 lationis à sex Procuratoribus una vice, præeunte verbis

Af-

Assessore, præstari observavi. *Jub.* Ita fieri solet si plures sint qui Processus appellationis reproduixerint. *Dom.* Vidi aliquem prodeuntem, & Assessore sceptrum porrigente, hoc manu tangere, confessimque ad suum locum redire? *Jub.* Cautio sie præstatur judicialis de producendo mandato Procuratorio. *Dom.* Nihil tamen auribus percepi de hac cautione. *Jub.* Hoc inde est, quod recessus celerius, & à nonnullis voce magis quam quæ exaudiri possit, submissa, recitantur. *Dom.* Hoc verò quare non corrigitur. *Jub.* Quia hominum mores sæpe corrigi nequeunt. Finienda est hodie nostra conversatio, quia in audientiâ hodiernâ magnam copiam accipi recessuum adversariorum, qui protocollo inserendi. *Dom.* Gratias tibi debeo pro amicâ informatione. Vale igitur quam optimè, amantissime mi Jubenti, & favere mihi perge.

# COLLOQVIVM

## T E R T I U M.

*JUBENTIUS. DOMITIUS.*

**J**ub. Salve Domiti, putabam te ex viciniâ discessisse, cum per semestre fere spaciū abs  
K 3 te

te nihil litterarum ad me pervenerit , nec tu  
ipse hoc advolaveris. *Dom.* Salvum te esse læ-  
tor , exoptatissime Jubenti , quem invisere non ne-  
glexissem , nisi fuisset per crumenam impeditus.  
Ad epistolas autem scribendas meministi olim , stu-  
diosis non multum superesse temporis à Collegiis , à  
lucubrationibus , à prandio , ab exercitiis , à de-  
ambulationibus &c. &c. *Jub.* Vidēris mihi solito  
pallidior , neque commodā uti valetudine. *Dom.*  
Evidem non puto , & benè me valere hesterna dies  
docuit , quā non nihil crapulæ expertus sum , re-  
versus domum à sodalibus. Opus enim habent al-  
ternā requie lucubrationes. *Jub.* Suspicio in con-  
vivio anniversario. *Dom.* Evidem de tali convi-  
vio nihil scio. *Jub.* Moris esse dicitur ut in  
die Martini Studiosi honorarium aliquod extraordi-  
narium conferant iis , quorum mensa utuntur ,  
pro quo vicissim excipientur convivio. *Dom.* Dum  
ego fui Giessæ talis convivii non memini. Ajunt  
jussū Principis morem esse sublatum. Quidquid  
sit ejus rei , studiosa juventus legem sibi ferri non  
patitur ne ipsi inter se convenire velint & quan-  
doque , ut eripiantur curæ , juxta Poetam *Ovidium*,  
compotent. Sed ut mei adventus causam tibi ami-  
ce exponam , subripui ego heri inter pocula alicui  
ex commilitonibus manuscriptum aliquod lepidum.

sub

sub titulo *Schlendriani*, quod per incuriam ex veste ei excidebat. Hoc tecum communicare volui, cum in novissimâ nostrâ confabulatione *Schlendriani* feceris mentionem. Putavi itaque in *Theſtaurum* incidisse, cuius sine alterius danno, nescio an etiam sine invidiâ, possim fieri particeps: Nam retinendi animum non habeo, sed domino suo restituendi, posteaquam exemplum mihi confecero manu meâ. Et faciam citissimè, dummodo abs te didicerim qualis scripti possit esse usus & an ei tutò sit fidendum. Ego quidem observavi in *Lectione fugitivâ*, multa quæ ad *Praxin Cameralem* pertinent in eo contineri, sed dubito, an auctor gratiam magnam à Dnis Procuratoribus fit initurus.

*Jub.* Quod tu mihi tanquam novi quid adfers, ego jam dudum vidi, & auctore, dum hic esset, usus sum familiariter. Is Procuratori nulli erat addictus, sed numerabatur inter eos, quos vulgo Practicantes vocant, id est *Studiosos*, qui addiscendæ Cameralis praxeos gratiâ hic commorantur, quorum quandoque sunt tot vel plures, quam in vestrâ Academiâ. Iste vero Franckenbergius (ne putas fortè esse Pseudonymum) juxta solidiorem doctrinam *Jurisprudentiæ*, studiis etiam elegantiорibus à juventute erat imbutus, &, quæcumque poterat, rimabatur, Accessum sibi ad musæa Procura-

curatorum paraverat per commendatitias litteras ,  
 sed , cum curiosior eslet , quam ipsis placeret , non  
 semper acceptus erat ejus adventus . Aliquoties à  
 me monitus fuit , ne scrutaretur nimium , quæ sci-  
 re necessarium non erat , sed ipse arte sese insinu-  
 andi non destituebatur : Sunt enim , quos abesse  
 mallemus , quibus tamen vel aditum præcludere ,  
 vel eos expellere honeste non possumus . Tandem ,  
 ut erat ingenio felici , informatus , quantum sibi  
 opus esse crediderat , discessit , & jam in patriâ  
 officio publico fungitur . *Dom.* Optassem itaque  
 ut in præcedentibus conversationibus nostris hoc  
 scriptum non celasses . *Jub.* Evidem non celavi ,  
 sed tibi adhuc utile fore non credidi . Posset enim  
 quis , nisi scopum Auctoris intelligat , eo male uti .  
*Dom.* Mihi videtur esse satyra magis , & in de-  
 trimentum eorum , qui causas tuentur , composi-  
 tum . *Jub.* Ita putabunt qui de re ipsâ , sicutitu ,  
 informati non sunt . Abusus foret istius schedia-  
 smatis insignis , si quis ea , quæ Auctor ceu regu-  
 las Schlendrianicas tradidit , imitanda esse credide-  
 rit . Is enim scriptionis scopus nequaquam fuit &  
 habendæ gratiæ Auctori , quod novitios ab errori-  
 bus revocaverit , methodo hâc arbitrariâ . *Dom.*  
 Annon igitur ista , quæ ibi narrantur , in ipsis re-  
 rum argumentis obtinent ? *Jub.* Imperite quæris  
 mi

mi Domiti. Quotusquisque enim est ex nostratis  
bus Dominis Advocatis & Procuratoribus, qui offici  
i sui dignitatem & rationes non calleret longè re  
ctius : Ego planè aliter sum persuasus , &  
meliora experior quotidie. *Dom.* Qui sit ergo, ut ab  
Auctore schediasmatis hæc quæ reprobanda magis es  
sent, tanquam regulæ instructivæ tradantur? *Jub.* Ex  
trivio meministi haud dubiè, quid sit figura Rheto  
rica , quæ dicitur Ironia. *Scias* igitur , Auctorem  
scripti isto modo docendi, quo olim Erasmus Rote  
rodamus & alii feliciter usi sunt , vivis coloribus  
ea depingere voluisse , quæ vitanda potius, quam  
imitanda esse putaverit. *Dom.* Putarem ego Au  
ctorem parcere debuisse verbis , ne de Advocatis &  
Procuratoribus aliter quam par est credant de rei veri  
tate non satis edocti. *Jub.* Malè omnino judicas.  
Officium Advocatorum & Procuratorum Auctor  
non descripsit , sed , quod tale non sit , vel esse de  
beat , dicere voluit. Fallentur etiam maximè , qui  
sibi imaginarentur , consilium Auctori fuisse , de  
tegere ea , quæ ipso facto ab Advocatis & Procu  
ratoribus fiunt. Aliud enim monstrat scripti titulus.  
*Dom.* Explicationem pleniorem hujus rei abs te  
expecto. *Jub.* Observavit Auctor , & saepe in  
familiari colloquio mentem ejus intellexi , multos  
ex Studiosis Wetzlariam venire , fundamentis Ju  
risprudentiæ non satis imbutos. Error enim est fre

L

qua-

quentissimus , praxin forensem , Cameralem cum  
 primis , addisci posse sine solida Iuris cum civilis  
 tum publici Imperii doctrina . Praxis sine funda-  
 mentis theoreticis similis est Charletanerie , hace-  
 nim , à Gallica lingua mutuo sumta voce , insigni-  
 re voluit eruditorum *μανγιαν* celebris nostri temporis  
 Polyhistor . Theoria sine Praxi proxime accedit ad  
 Pedantismum , quem descripsit Ulricus Huberus ,  
**J**Ctus eximius Friesicus . Cum ergo multi Studioſi-  
 ea , quæ externe fieri obſervant , pro captu ſuo in-  
 telligant , incident facile in errorem duplēm : U-  
 num , ac ſi in extēnis iſtis officium Procuratoris  
 conſisteret , & nihil eſſet facilius quam tali munere  
 fungi : Alterum , quod ea , quæ fieri audiunt ,  
 animo lites protrahendi accidunt , qua in re male  
 omnino judicant . Hos errores Auctōr Schlendria-  
 ni ſtylo ironico notare voluit , eo fine , ut Practi-  
 ci novitii ad ſolidiora diſcenda incitarentur , & in  
 iſtiusmodi modis agendi boni Advocati & Procura-  
 toris officium non conſistere , ita ſummopere vita-  
 da eſſe intelligerent . **D**om . Nihilne eorum actū ſit , ut  
 descripsit Frankenbergius ? **Zub.** De occultis re-  
 ſpondere non poſſum : Si quid accidat , & incante ,  
 ut intelligatur , poenam ſecuturam certum eſt . Si  
 apertum non ſit , in meliorem partem ſiet interpre-  
 tatio . Externa species imponere non debet . Con-  
 filio malo non fieri , credere libenter volo . **D**e meo  
 Pro-

Procuratore facilius adhuc spondere possem. Et  
 de plerisque quos proprius nosse licuit, licuit autem  
 plurimos, scio quod alia plane sint industriâ & do-  
 ctrinâ viri. Dom. Videor mihi jam ab errore, in  
 quo fui, liberatus esse. Credo tamen hac ratione plu-  
 ra reprehendi potuisse vitia *Seblendrianica* quæ Au-  
 tor prætermisit. Jub. Nullum est dubium, Si cuius  
 mentio nūquam est, se dolet excludi, properet, sat erit  
 locus illi. Dom. Versusne, tu loqueris ex tempore?  
 Jub. Minime, sed memineram hic versuum, in fine  
 libri cui titulus *Navis Stultiferae*. Eum ex amici bi-  
 bliotheca perlustrandum accepi: Inspice si placet.  
 Dom. Et literarum & imaginum ligno incisarum for-  
 ma, antiquitatem libri indicant: Auctoris nomen non  
 video neque armum editionis. Jub. Animadverte ti-  
 tuli partem supremam ab imperitis, forte pueris qui-  
 bus imagunculæ monstratae, esse laceratam, sed tamen  
 adhuc conspicuum nomen Auctoris *Sebastiani*  
*Brand* ( latine vocabatur *Titio*, ) Argentinensis &  
 Reipublicæ patriæ Proto-Cancellarii cuius latides ex  
 Pauli *Langii Chronico Citicensi* repetiit *Herzius* in  
*Bibliotheca Germanica* num. 1218. Tradidit autem  
 Philosophiam moralem ea methodo, ut vitia hemi-  
 num tanquam Stultiæ plena in unam compingeret  
 navem. Opus Vernaculae linguae versibus conscri-  
 ptum, ab aliis Latinitate donatum varioque carminum  
 elegantissimorum genere illustratum fuit, prout hic

vides. Dom. Annus quem in fine libri jam deprehendo MCCCCVI. videtur esse suspectus, nam eo tempore artem typographicam nondum coepisse in Germania memini me legere in *Historia literaria Struvii*. Jub. Nisi de vita & morte *Titionis* constaret aliunde, vivere enim desiit Anno 1521. putandum foret, more typographorum veterum non referri annum editionis, sed absoluti operis manuscripti. Ast, cum Auctor Anno 1406, nondum fuerit natus, dubitandum non est, errore typothetæ positum esse annum MCCCCVI. pro MCCCCCVI. Dom. memoratu digni sunt versus in titulo :

Quanquam Stultifera mihi vox est indita navi,  
Sana tamen tuto mens mea vela leget,  
Non etenim doceo quemque insaniare, sed hortor  
Et moneo in sanum &c.

Jub. Pariter Frankenbergius non doceret voluit quemque Schlendrianice agere, sed monere juvenes, hanc nomine via, & praxin quam sibi forte imaginantur. Dom. Quid ergo tandem erit *Schlendrianus*, quem ubique locorum nominari & commendariaudio, operam dandam esse, ut *Schlendrianum* addiscamus : in existimatione esse, qui eum bene noverit. Jub. Verum dicis, vulgo & commendari & laudari, sed sciendum tibi est fieri hoc non eodem ab omnibus sensu, diversa quoque esse hominum & studia & ingenia. Commendant saepe aliqui laudantque aliis, quod, quid sit, ipsi nesciunt : Aliqui consilium dant pro ratione:

tione ingenii ejus , qui petit. Estenim , quod dolendum , tanta hominum copia qui legum studio vitam sustentare volunt , ut non poslit non fieri , quin major numerus sit eorum , quorum profectus infra mediocritatem manent ; paucissimi ad solidiorem scientiam adscendant . Illi , si Justinianum acculerent , se ipsos culpare potius deberent , quod priusquam ad studia liberalia accesserint , suas ingenii vires in examine non haberint . Hinc accedit non paucis , ut contrarium experiantur , quam quod Justinianus Cæsar in epilogo Novellæ primæ iperare jussit , si cum vulgo textum hunc de studio Legum in genere , accipere liceat . Dom . Discursus tuus me fere poenitere faceret incoepiti studii juridici . Obfirmabo tamen patientiam . Tu vero , amice , quem tenere debeam verum de Schlendriano intellectum explicare memento . Jub . Faciam libenter , quantum possum . Ante omnia cæendum , ne intelligantur artes Rabulariæ , quam acceptiōnem reprehendit Schediasmatis Auctor . Ex enim honestos viros non decent , & nullus est Dn . Advocatorum & Procuratorum Cameræ , qui tales non averseatur . Si ullibi , certè hic loci , severa foret in eas an madversio . Semper habuit , & adhuc habet Camera Imperialis in Procuratorum ordine viros doctos , tanto Judicio dignos , quorum complures , & inter eos meus quoque Patronus , honore &

titulo Coniliariorum ab Electoribus, Principibus, ac  
 Statibus Imperii sunt insigniti. Est inter eos, quod non  
 diffitendum, inæqualitas: Sed quot usque est, qui  
 æqualitatem ingenii, studiorum, morum, omnium  
 que agendi rationum &c. quæsiverit in quounque  
 collegio? Deinde, deponendus est sensus *Schlendriani* vulgaris, in nudis externis formulis  
 earumque imitatione qualicunque, vel potius abuso,  
 consistens. Hunc risui habuit Franckenbergius.  
 Tertio, si uti velimus isto vocabulo, plebejo ma-  
 gis, quam ad doctos pertinenti, nihil aliud signi-  
 ficare puto quam scientiam applicandi promte in  
 ipsa praxi, regulas & formulas receptas atque proba-  
 tas, atque cum judicio. *Dom.* Hæc autem tua  
 descriptio longe aliter se habet, quam Francken-  
 bergii. *Jub.* Franckenbergius in Schediasmate ta-  
 lem dedit descriptionem, qualem juvenes Imperiti  
 vulgo sibi imaginantur, non qualis revera esse de-  
 bet. Ut dicam, quod res est, doctrina & peritia styli  
 id ipsum est, quod *Schlendrianum* appellant. Vi-  
 tio & imperitia hominum factum est, quod rem  
 planè necessariam, stylum judicarium puta, vo-  
 cabulo contemptibili *Schlendriani* insigniverint.  
 Credo id factum ab iis, qui tales sunt, quos Au-  
 tor Schediasmatis reprehendere voluit, h. e. qui  
 imperitiam calliditate quadam obtegere didicerunt.  
*Dom.* Optarem ut similitudine aliqua hoc illustra-

105

res ad captum meum accommodata. *Jub.* Di-  
 dicistine aliquando Geometriam? *Dom.* Fuit à juven-  
 tate meum delectamentum. *Jub.* Probè. Et quam  
 insignem præbeat usum in omni disciplinā non du-  
 bitant nī qui studio isto imbuti non sunt. *Cir-*  
*cinum tractare haut dubiè fuisti doctus.* *Dom.* In-  
 jucundum foret hoc studium sine exercitio circini.  
*Jub.* Id quidem fit in musæo super tabulam vel  
 chartam. Sed si in campo aliquid peragendum ti-  
 bi esset ipso opere, si jubereris regulas architecto-  
 nicas quæ geometrico studio innituntur, ad praxin  
 deducere, audere ne id peragere sine periculo. *Dom.*  
 Minimè, quia nondum expertus sum: *Jub.* In-  
 telligis jam differre scientiam regularum, vel in legi-  
 bus traditarum, vel *styli*, quâ voce designantur regulæ  
 usū probatæ, non scriptæ, aperitiâ iis in ipsâ praxi uten-  
 di. *Dom.* Hoc bene capio. *Jub.* Ergo hæc peritia scite &  
 promte tractandi negotia, cum primis quoad externa,  
 vocatur *Schlendrianus*. *Dom.* Disco jam multa,  
 antea non audita. Si recte tua verba percepi, *stylus* à  
 Schlendriano non differt, nisi in peritiâ adplicandi:  
*Jub.* Rectissime. *Dom.* Sine doctrina Jurisprudentiæ  
 nullius est pretium notitia externalium formularum. *Jub.*  
 Optime. Et cum *stylus* judiciarius non sit absque  
 ratione legitimâ, hanc qui ignorant, nequidem  
 stylum scire crediderim. *Dom.* Qui ergo doctrinæ est  
 præditus, huic notitia *styli*, qui ab observatione dili-  
 genti.

genti & exercitio dependet, non multum facesset laboris? *Jub.* Bene judicas, *Dom.* Et facile poterit pro diversitate negotiorum casuumque occurrentium formulis uti, vel novas condere proprio Marte, observatis præceptis generalibus: Et omnia quæ sunt externa, pro re natâ adhibere eaque moderari. *Jub.* Egregiè rem tenes, *Dom.* Ego itaque Jurisprudentiæ operam dabo sedulo & spero me evasurum bonum Schlendrianum. *Jub:* Optimè facies: & experieris insignem utilitatem, *Dom.* Conversationem hodiernam habeo quovis convivio cariorem. Revertar nunc domum, commilitoni meo scriptum restituturus, dataque occasione alios etiam ab errore revocaturus. *Jub.* Recte facies. Vale.

FINIS.

## ERRATA TYPOGRAPHICA CORRIGENDA.

PAG.	linea	legendum.
10	6	hos Schlendrianos potius
	9	erigere
	18	pertinet
13	13	conscriptis
14	1	erige, in eum tenu.
	13	imitaberis
22	10	secundâ
26	12	moratoriis
	12 & 13	petitum
29	8	tribus
38	1	nolli, si his præceptis,
48	Custos	Minime
49	22	partis
55	3	exarandi,
57	21	ut audio, de doctrinalis more tur.
58	5	Delende vox: quam
69	11	quorum tamen omnium
70	11	aut pauciores
73	14	corum, qui non
79	penult	imbutus, & quæcunque
80	22	fuit,





Ka 1353

X 2344927





*ab 16*

# SCHLENDRIA- NUS

CELEBRIS PRACTICORUM  
MAGISTER

## BREVI SCHEDIASMATE

NEO-PRACTICIS FORENSIBUS  
COMMENDATUS

PER *Lindoll, R. M. von*  
**GUILIELMUM FRANCKENBERG.**  
Utr. Jur. Lic. & Adyoc. Patriæ Ord.

1909.5.172

Ka 1353



*H*  
**COLONIÆ, Anno 1720.**